RESPONSIO AD INQUISITIONEM I. LAUNOII PARISIENSIS THEOLOGI IN...

Norbert Caillieu, Serafino : da#Gesù Maria

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
27 K
13

Digitized by Google

Pour Monseign[r]
Le Nonce

Digitized by Google

H.1.13
IV.2.

Digitized by Google

RESPONSIO
AD INQVISITIONEM
I. LAVNOII
PARISIENSIS THEOLOGI
IN PRIVILEGIA
PRÆMONSTRATENSIS ORDINIS.

Per R. P. F. NORBERTVM CAILLIEV *Facultatis Pariſienſis Doctorem Theol. Archimonaſterij Præmonſtratenſis Priorem.*



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud FREDERICVM LEONARD,
viâ Iacobæâ, ad inſigne Scuti Veneti.
M. DC. LXI.

Digitized by Google

Poſuerunt in Cœlum os ſuum; & lingua eorum tranſiuit in terra. Pſal. 72.

S. Auguſtinus Epiſt. 162. *Quòd ſi tanta & aduersùs Primam Sedem ſeditio naſceretur, vt nonnulli damnare iam vellent quos volebat illi differri, quantò meliùs à talibus inquieta & impacata molientibus, quàm à totius orbis communione diſſentiretur?*

Digitized by Google

INDEX.

Honorij III. Pontificis Maximi ad Archiepiſcopos & Epiſcopos, vt Præmonſtratenſia priuilegia ſarta-tecta conſeruent, Epiſtola encyclica. an. 1219.

Ad Ioannem Launoium Inquiſitorem Præfatio, In qua præcipui eius defectus compendiosè referuntur.

Ad Lectorem. Vbi de operis inſtituto ac diſpoſitione.

Caput I. *Quæ* facti *ſunt ſincerè referuntur, atque ad præfationem Inquiſitoriam reſpondetur.* pag. 1

Cap. II. *ad* I. *Caput Inquiſitionis reſpondens. Inquiſitor partem aduerſam commendat inuitus, Cæſarem condemnat neſcius.* p. 34.

Cap. III. *ad* II. *Inq. Reſp. Inquiſitor Bartholomæi Præmonſtratenſiumque commendationem, Cæſaris condemnationem proſequitur & confirmat.* p. 45

Cap. IV. *ad* III. *Inq. Reſp. Stulto labore conſumitur Inquiſitoris ignorantia loquax.* p. 64

Digitized by Google

Cap. v. *ad* iv. *Inq. Reſp. Hallucinatur Inquiſitor exiſtimans id propria ab Epiſcopis authoritate fieri potuiſſe, quod Commiſſa duntaxat poterant.* p. 75

Cap. vi. *ad* v. *Inq. Reſp. Suffoſſionis & ignorantiæ conuincitur Inquiſitor.* p. 81

Cap. vii. *ad* vi. *Inq. Reſp. Ignorantiæ iterum manifeſtiſſimè conuincitur Inquiſitor.* p. 95

Cap. viii. *ad* vii. *Inq. Reſp. Inquiſitoris mens parum ſincera, atque à propoſito deuians oſtenditur.* p. 113

Cap. ix. *ad* viii. *Inq. Reſp. Launoius inſtituti immemor totus in ſe pugnat.* p. 131

Cap. x. *ad* ix. *Inq. Reſp. Inquiſitoris obſeruatio inutilis, ac vana exſcriptio.* p. 133

Cap. xi. *ad* x. *Inq. Reſp. Confunditur Inquiſitoris multa garrulitas, ac præceps iudicium.* p. 135

Cap. xii. *ad* xi. Inq. *Reſp. Launoius Majeſtatis ſcrutator ridiculus, Romani Pontificis contemptor & irriſor phanaticus.* p. 137

Cap. xiii. *ad* xii. Inq. *Reſp.* Impoſturæ, Imperitiæ, *ſuffoſſionis conuincitur* Inquiſitor. p. 151

Cap. xiv. *ad* xiii Inq. *Reſp.* Inquiſitoris Indoles *oſtenditur.* p. 164

Cap. xv. *ad* xiv. Inq. *Reſp. Multis confunditur* Inquiſitoris *petulantia circa Alexandri V. priuilegium.* p. 166

Digitized by Google

Cap. XVI. *ad* XV. Inq. *Reſp. Tria* Inquiſitoris *momenta frigida, non in Præmonſtratenſes, ſed in Apoſtolicam Sedem ructata.* p. 285

Cap. XVII. *ad* XVI. Inq. *Reſp. Locorum noſtrorum Exemptio aſſeritur*, Inquiſitoris *obiectiones diſſoluuntur.* p. 293

Cap. XVIII. *ad* XVII. Inq. *Reſp. Hallucinationes* Inquiſitoriæ *circa Ludouici XI. priuilegium expenduntur.* p. 319

Cap. XIX. *ad* XVIII. Inq. *Reſp. Legendo decipitur* Inquiſitor, *& in Confirmatione deficit.* p. 347

Cap. XX. *ad* XIX. Inq. *Reſp. Ex Alexandro II. & Clementina à ſe laudatis iudicatur* Inquiſitor, *&c.* p. 353

Cap. XXI. *ad* XX. Inq. *Reſp.* Inſulsè *Tridentinum garrit* Inquiſitor. p. 359

Cap. XXII. *ad* XXI. Inq. *Reſp. Præpoſterè Conciliorum Canones laudat* Inquiſitor, *Clementi VIII. imponit, &c.* p. 366

Cap. XXIII. *ad* XXII. *Et ab Obſeruationem I. Inq. Reſp.* Inquiſitoris *Obſeruationes & aſſerta ridicula.* p. 374

Cap. XXIV. *ad Obſ.* II. Inq. *Reſp. Blaſphemia in Apoſtolicam Sedem, &c.* p. 387

Cap. XXV. *ad Obſ.* III. *Inq. Reſp.* Iniuriæ *in quatuordecim Romanos Pontifices, &c.* p. 392

Cap. XXVI. *ad Obſ.* IV. Inq. *Reſp.* Inquiſitoris

Digitized by Google

oſtenditur ingenua fatuitas, &c. p. 394

Cap. XXVII. *ad Obſ.* V. Inq. *Reſp. Pugnantia loquitur Inquiſitor, &c.* p. 403

Cap. XXVIII. *ad Obſ.* VI. Inq. *Reſp.* Inquiſitor *Præmonſtratenſibus imponit, Vitilitigator ipſe.* p. 407

Cap. XXIX. *ad Obſ.* VII. *Inq. Reſp. Sibi ipſi contrarius* Inquiſitor, *&c.* p. 411

Cap. XXX. *ad Obſ.* VIII. Inq. *Reſp. Multa extra rem Inquiſitor.* Iniurias *in Apoſtolicam Sedem innouat.* p. 416

Cap. XXXI. *ad Obſ.* IX. Inq. *Reſp.* Inquiſitor *iterum extra rem benè multa: atque ex minutioribus minutiorum Obſeruator iudicatur.* p. 421

Cap. XXXII. *ad Obſ.* X. Inq. *Reſp.* Iuſtè *ſcienterque à Præmonſtratenſibus obiecta poſſeſſio.* p. 430

Cap. XXXIII. *ad Obſ.* XI. Inq. *Reſp. Falſa iterum obtrudit Obſeruator.* Iterum *ex minutioribus à ſe laudatis condemnatur.* p. 449

Cap. XXXIV. *ad Obſ.* XII. Inq. *Reſp. Obſeruatoris* Imprecatio *in ſummos Pontifices obſeruatur.* p. 454

Cap. XXXV. *ad Obſ.* XIII. Inq. *Reſp. Horrenda in Apoſtolicam Sedem vomit Obſeruator; quæ & Illuſtriſsimis Antiſtitibus imponens inuerecundè tribuit.* p. 457

Concluſio. p. 469

Digitized by Google

HONORII III. EPISTOLA Encyclica ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Prælatos.

HONORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos litteræ iſtæ peruenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Benefaciens Dominus bonis & rectis corde, dilectos filios Præmonſtratenſis Ordinis in via mandatorum ipſius inoffenſè currentes, tanquam populum acceptabilem ſibi numero & merito ampliauit, eiſque de rore cæli & terræ pinguedine benedicens, dilatauit locum tentorij eiuſdem Ordinis, & pelles tabernaculorum eius extendit. Sed quia, dolentes referimus, in via hac qua ambulant, ſuperbi contra eos laqueos extendentes, imò velut torrentes iniquitatis irruentes in eos, ipſos bonis ſuis, quæ ſoli Domino ſunt dicata, non ſolùm nequiter defraudare, (cum filij huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt) verumetiam iniquitate potentes violenter ſpoliare*

nituntur. Et quod grauius eſt, nonnulli de iis qui eos debuerant in Chriſti viſceribus charius amplexari & fauorabiliùs confouere, ipſos in manus perſequentes priuilegia quæ ipſis à Sede Apoſtolica, ſuis exigentibus meritis, ſunt indulta, geſtiunt penitùs eneruare: dicendo illa fuiſſe omnino in generali Concilio reuocata, vel aliàs intellectum priuilegiorum ipſorum ita maligna interpretatione ad libitum peruertendo, quòd niſi os iniqua loquentium obſtruatur, nihil reſtet, quin prædicti fratres priuilegiorum ſuorum penè penitùs fructu fruſtrentur; per quod illi non tam eiſdem fratribus, quàm nobis iniuriari probantur, dum contra Sedis Apoſtolicæ indulgentias memoratos fratres temerè perturbare præſumunt; molientes contra noſtræ plenitudinem poteſtatis, dum indulta noſtra irreuerenter impugnant. Nos igitur qui prædictos fratres ſpeciali prærogatiua dilectionis & gratiæ amplexamur, vtpote qui Domino iugiter offerentes ſuorum vitulos labiorum, non ſolum vobis, ſed etiam vniuerſali Eccleſiæ piis interceſſionibus intemperaliter ſuffragantur, Nolentes huiuſmodi vexationibus eorum ſabbati amaritari quietem, quos potius tenemur omnimodis conſolari, Vniuerſitatem veſtram monemus & hortamur attentè, ac per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus prædictos fratres ob reuerentiam Diuinam & noſtram

Digitized by Google

habentes in viſceribus charitatis eis priuilegia & indulgentias Apoſtolicæ Sedis eiſdem conceſſas inuiolabiliter conſeruetis, & faciatis ab aliis conſeruari, ſalua moderatione Concilij generalis; Videlicet, vt de alienis terris à tempore prædicti Concilij acquiſitis & de cætero acquirendis, exſoluant Decimas Eccleſiis, quibus ratione prædiorum antea ſoluebantur, niſi aliter cùm eis duxerint componendum. Aliàs quoque prædictos fratres ab incurſibus malignorum taliter defendatis, quòd defenſores iuſticiæ ac pietatis probemini amatores, Deúmque vobis propitium, & Nos reddatis exindè fauorabiles & benignos. DATVM Laterani tertio Nonas Martij. Pontificatus noſtri Anno tertio.

AD IOANNEM LAVNOIVM Inquiſitorem Præfatio.

In qua præcipui eius defectus compendioſè referuntur.

GRAVITER & iniquo animo maledicta tua pateremur, *Inquiſitor*, ſi te ſciremus iudicio magis, quàm morbo animi petulantiâ iſtâ vti. Scilicet liber ille tuus Parlamenti Aquenſis authoritate dudum proſcriptus, & frigidæ, ſine ſale, ſine ratiocinio, modò in huius, modò in illius Ordinis Religioſi priuilegia, vt vocas, *Inquiſitiones*, ac denique inauditâ tua quidlibet ridiculè carpendi prurigo, temeritas, atquè licentia de te abundantiſſimè enuntiant, lucéque ipsâ clarius oſtendunt quæ tua mens, & quàm ſtolidè criticus genius tuus.

Facis igitur, cùm in Ordines ſacros tantâ animi tui contentione debaccharis atque deblateras; facis, inquam, non quod

Digitized by Google

merentur ij, ſed quód ſoles: adeò vt nemo mirari debeat, ſi malè de illis, malè de ſupremo Vniuerſalis Eccleſiæ Capite loquaris; quippè ſat notum omnibus, qui tecum vel minimùm ſunt conuerſati, te, licet ſexagenario grandiorem, necdùm tamen benè loqui poſſe.

Atque eapropter id conſilij cœperamus, *Inquiſitioni* tuæ ne verbo reſpondere quidem, id in ea potiſſimùm attendentes, *Genio parentis totam eſſe refertam*; Scopis diſſolutis, huc illuc ſine arte, ſine ordine diſſilientibus; Exaggerationibus ſupra dicendi modum, ſupra rei naturam, ſupra fidem pueriliter grauantibus; Mendaciis, Suffoſſionibus; Iniuriis; Impoſturis; Maledictis, non perſonæ, non ordini, non ſupremæ authoritati parcentibus; Citationibus importunis, aut extra rem longè vagantibus, aut ſuum authorem veluti proprio gladio iugulantibus; Ratiociniis imperitis, atque homine vel tantiſper dialectico, nedum Pariſienſi Theologo indignis; Dictione non ſibi conſtanti; Ac denique intolerabili rerum alienarum, ſibi licet ignotiſſimarum, effutitione: Hæc enim omnia, (cùm præter auerſionem ſui, nihil apta ſint Lectoribus ingerere) con-

Digitized by Google

temptu longè efficaciùs, quàm quouis argumento confutari ſolere non dubitabamus.

Acceſſerat, videri te de farina eſſe hominum illorum, quos validiſſima reſponſa cautiores non faciunt, indè amplioris audaciæ, impudentioriſque temeritatis argumenta deſumentes, vndè confuſionis æternique ſilentij documenta, ſi vel minimùm cordati eſſent, capere debuerant. Sic enim tu, reſponſionibus licet Quatremarij attritus; Valleſij ſtilo vehementi ad extrema deductus, ſupremarum denique Arreſtis Curiarum tanquàm........damnatus; quaſi omnia ſucceſſiſſent ex votis, de te non cogitantes ad pugnam prouocas, tot plagis nihilò factus prudentior.

Hæc, inquam, & ſimilia quamplurima nos à reſpondendo penitùs auerterant; donec è prouinciarum Canonicis viſitationibus, in quibus annos integros fuimus occupati, à menſibus non ita multis in patriam reduces *ſuperbia tua ſemper aſcendens*, atque Inquiſitionibus Inquiſitiones, iurgia iurgiis cumulans oppoſitam in ſententiam adduxit, ſuaſitq; efficaciter ne *veritatem in iniuſtitia*, ſic *detineri* diutiùs, ac tam atrociter à ſuo vindice violari, ſineremus impunè.

Tu igitur, ſi qua cordati animi, ſi qua bonæ mentis in te ſintillula remanſerit, teſtimonio per nos veritati perhibendo, noſtriſque confutationibus, hanc excita, & emendare.

Sed ad rem priuſquàm veniamus, operæ pretium videtur intolerabilem iudicij tui errorem ipſo in operis tui limine expreſſum hîc verbo detegere: nimirùm hoc verſu Dauidico *Inquiſitioni* tuæ præludis; *Scuto circundabit te veritas eius; non timebis à timore nocturno: à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano.*

Quo quidem textu quàm groſſè & ineptè ad propoſitam tibi materiam abutaris, nemo non videt: quaſi verò inuiolabilis Petræ firmitatem aduersùs hæreticos atque inferi portas defendendam, (quod vnicum cuique ſanè intelligenti ex textu à te aſſumpto in mentem venire poteſt) & non Sacerdotis Conſtantienſis ad illam-ipſam Petram alliſi infirmitatem incautè propalandam ſuſciperes. Quaſi verò verſiculus iſte non de Petri Cathedra longè germaniùs, quàm de tua ideali peſtilentiæ cathedra, aduersùs ipſos Petri ſucceſſores erigente ſe, deberet intelligi.

Digitized by Google

Vide ergò quàm inconcinnè tuæ cantilenæ præcinas; atque ex tuis defectibus hîc veluti compendio prænotatis, euidentiuſque omnium ante oculos reſponſione noſtrâ ſigillatim exponendis, caſtigandiſque, Criticum dediſce carmen, biſque repetito Pitagoricorum quinquennio vtere, quò purior atque emendatior in lucem prodire queas. Vale itaque, & tace, ſi fortè potes: Donec Exterarum Nationum Concanonici noſtri, quorum documentis armiſque aduersùm te hîc non vtemur, confuſioni tuæ cumulum imponant.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Vbi de Operis inſtituto, ac diſpoſitione.

QVÆ *Inquiſitor* in indigeſta ſua farragine, ſine ordine, ſine metodo collegit, hęc mihi viſa ſunt ad duo Capita reuocari poſſe, quorum alterum *facti*, alterum veluti *Iuris* non incongruè fortè diceretur.

Quæ *facti* ſunt, ea Præfatione ad Cæſarem Laudunenſem Epiſcopum, Ducem, & Parem Franciæ, Inquiſitor abſoluit; quâ ſinceritate & fide, diſcutietur à nobis.

Quæ verò ſunt *Iuris*, illa viginti duobus Capitibus, Obſeruationibus tredecim, Concluſione, & duobus Addendis tanquàm nouis centonibus ad veſtes detritas, ipſe complectitur; quorum ſingulis quantâ fieri poterit breuitate reſpondebimus, inordinatam Inquiſitoris diſpoſitionem ſequuturi: quippè ſatiùs eſſe duximus, & ad ſuſpicionem omnem moleſtiam.

Digitized by Google

que à Lectorum animis tollendam efficaciùs, eius quo cum agimus, veſtigiis exactiſſimè inſiſtere, quàm, metodo licet puriori, vel eorum, quæ animaduerſione digna eſſent, quædam intacta relinquere; vel in diuerſa ſimul, (cum Cenſor in vno capite, quod Inquiſitor in alio) diſtrahere, diſtorquere, & confundere Lectoris attentionem.

Cæterùm confutationis argumenta longè latéque non quæram, ſed è re ipſa, ex ipſius cauſæ viſceribus, ex verbis vt plurimùm ſententiiſque Inquiſitoriis: id enim Inquiſitori familiare eſt, vt *proprio in ſermone* frequens capiatur.

Digitized by Google

AD IOANNIS LAVNOII PARISIENSIS THEOLOGI Inquiſitionem in priuilegia Præmonſtratenſis Ordinis Reſponſio.

Capvt I.

Quæ facti *ſunt ſincerè referuntur, atque ad præfationem inquiſitoriam reſpondetur.*

VIx Cæſar ex Eſtreeorum familia Laudunenſis Epiſcopus anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto, ipsâ vigiliâ Natiuitatis Domini (diebus videlicet aliquot à conſecratione ſua) ſolemni ritu ac pompâ in Cathedralem Eccleſiam fuerat exceptus, cum ecce aduersùs exemptos claſſicum ſonat, ac bel-

Digitized by Google

lum regularibus indicit. Statuitque, à *Minimis* & *Minoribus* incipiendo, maiorum etiam Ordinum priuilegia & immunitates impetere, ac ſi poſſet, euertere: quâ grati animi teſtificatione in Apoſtolicam ſedem, à qua beneficio ſingulari tàm recèns fuerat affectus, ipſe diiudicet. *Minimorum* igitur & *Minorum* Eccleſias adit, in iiſque Venerabile Sacramentum molitur viſitare, violento conatu, ſterili ac vano effectu.

Nec verò multò poſt, menſe nimirùm Februario anni 1656. noſtri Sammartinenſes, quò illuſtrem inter cæteros gratulationis & reuerentiæ Epiſcopo nouo ſignificationem darent, eum vnà cum Eſtreeo Comite ipſius fratre ad prandium conſtituunt inuitare. Verùm ne iurgiis ac tumultibus ab Epiſcopo innouandis hâc ſuâ inuitatione viam aperirent, ſiſcitantur priùs ab Epiſcopi familiaribus ipſius mentem, & nùm eſſet idem in Eccleſia ſancti Martini attentaturus, quod heri & nudius-tertiùs apud *Minimos* & *Minores* attentarat? Reſponſio eſt vnanimis, rediiſſe videlicet Epiſcopum ad mitiorem mentem ac tranquilliora conſilia, ſpondentque aduersùs im-

Digitized by Google

munitates nihil omninò moliturum. Atque hoc accepto reſponſo, Eſtreei, & quotquot ad Eſtreeorum pertinebant familiam, inuitantur ad prandium.

Die igitur à noſtris aſſignatâ ad Monaſteriũſancti Martini horâ circitèr vndecimâ Eſtreei veniunt, &, vt Eccleſiaſticis probiſque viris in more poſitum eſt, Eccleſiam imprimis ingrediuntur, ac coram ſummo altari (ſuper quo repoſitum erat ciborium, quò panis Euchariſticus à Sacerdote diſtribueretur poſtulantibus) genuflectunt, atque aliquantiſper orant. Verùm, proh dolor! occaſione victus Epiſcopus à prece ſurgit, atque à Priore Sammartinenſi ſtolam poſtulat. Cui Prior, ad quid ſtola, Illuſtriſſime Domine? Nec mora, ſtatim altari aduolat Epiſcopus, ibique non lotis manibus, ſine ſtola, ſacram, in qua tremenda fidei noſtræ myſteria continebantur, Pixidem aſſumit, & ad aſtantes conuerſus, efformatâ cruce benedictionem impertit: ac dein itur ad prandium. Circa cuius finem, ecce ab Eſtreeorum familiaribus & domeſticis fores Conuentus omnes recluduntur, atque vtriuſque ſexûs perſonis tumultuosè irrumpentibus, ad

Digitized by Google

omnia regularia loca, & ad ipſa Monaſterij penetralia latè aditus aperitur. quod noſtri tanquàm nouum & ante id tempus inauditum ægrè admodùm ferentes, Epiſcopum orant obſecrantque, ne loca ſacra, primordiales Ordinis Norbertini Conſtitutiones, priuilegia, Canones Eccleſiaſticos ſic impunè violari permittat. Verùm ſurdo decantant; imò Comes ipſe frater fores recluſas tenet, paſſimque vox iſta à Comitis & Epiſcopi domeſticis erumpens auditur, Petri claues, arciſque tormenta noſtra ſunt, hecquis tantæ audeat obſiſtere poteſtati? Sicque, violentiâ non ferendâ, in Monaſterio ſancti Martini vſque ad multam noctem peruia quæque remanſerunt. Aderat porrò inter recludentes, Inquiſitor ipſe, qui groſſâ calliditate per totam Inquiſitionem ea de re obmutuit; quaſi verò id poſſet occultari, quod ſpectante, atque ob rei nouitatem, ſtupente totâ Laudunenſi ciuitate, probis omnibus lugẽtibus, adeò præpoſterè fuerat attentatum. Atque hæ primæ fuerunt in fundamẽta Sammartinenſia arietationes.

Anno ſequenti, qui erat 1567. Dominicâ infra octauas ſanctiſſimi Patris

Digitized by Google

Norberti (die per ſingula Præmonſtratenſis Ordinis monaſteria, propter Indulgentias plenarias Apoſtolica authoritate conceſſas, ſacrâ, quæque incidebat in Iulij decimam quintam) Beati Martini Eccleſiam adire conſtituit Epiſcopus, præcedenti duntaxat nocte de Curia redux. adiit horâ circiter à meridie tertiâ, cum adhuc veſperis in choro decantandis detinerentur Canonici noſtri, qui Epiſcopũ nec viderant, nec ſciebant adeſſe; quippè ſubſtiterat in Eccleſiæ naui, concionatorem cum populo expectans. Veſperis abſolutis, ſtatim adeſt concionator, atque, vt moris & iuris eſt, à Priore ſacris adhuc induto benedictionem accipit, ac deinde in nauim progreſſus ſuggeſtum conſcendit.

Vnde patet à vero quàm maximè it alienum quod hîc ait Inquiſitor, ongreſſûs nimirum & coniurationes, oſtros inter, & Capucinum conionatorem præceſſiſſe: Quî enim fieri otuiſſet, vt cum eo noſtri ad colloquia eniſſent, quem penitùs non viderant, ui à ſtallis ſuis non receſſerant, qui de piſcopo nihil omninò audierant; imò uem in Curia adhuc degentem exiſti-

mabant? Verùm, etſi præſentem reſciuiſ-ſent, quid iis cum Capucino, viro, vt ait Inquiſitor, bono, addo & gnaro, colloquio aut coniuratione opus erat? cùm omnes apprimè noſſent in locis exemptis quid Epiſcopo concedi, quid negari iure oporteret. Et verò modus ipſe loquendi, quo hîc vtitur Inquiſitor, dubitanti ſimilis, dum ait pag. 5. *Monaſterij Fratres cuncti, aut certè nonnulli ad colloquium & congreſſum veniunt, &c.* Liquidò oſtendit quàm temerè iſta effutiat.

Finitâ concione (vti apud nos diebus ſolemnioribus fieri aſſolet, dùm neceſſaria præparantur ſupplicationi mox ſequuturæ), organa pulſantur; quod iniquiùs ferens Epiſcopus, (ad hoc enim fortaſſe venerat, vt, concione finitâ, largam populo in ædibus non ſuis benedictionem impertiret, impediebatur autem organorum pulſu) & quam ſibi à Capucino illatam initio concionis exiſtimabat iniuriam, (concionandi facultate à ſe minimè petitâ) memoriâ repetens, multùm irato ſimilis locum deſerit, ac greſſu concito ad ſacrarium properat, progrediendo Capucinum inclamans, plebemque ad ſe aduocans: vbi verò ad ſacrarium

venit, omnia querelis adimplere, hunc incuſare, illum verbis laceſſere durioribus, hunc ad Capucinum mittere, qui eũ ad ſe adduceret; Patrem denique Priorẽ aſperrimè inter cæteros increpare, quaſi ex compacto, vt ait Inquiſitor, & conſutis dolis hæc acta fuiſſent omnia. Quem Prior modeſtiſſimè atque vrbaniſſimè pacatiori rogat eſſe animo, nihilque mali ſuſpicari; exploratiſſimum eſſe omnibus Sammartinenſium erga Laudunenſem Epiſcopum cultum ac reuerentiam: cuncta candidiſſimè atque innocentiſſimè à religioſis geſta eſſe; in iis ſi quid peccatum fuiſſet, totum in aduentûs ipſius ignorantiam eſſe refundendum; cæterùm rogare ſe eum enixiſſimè ne diuinum interturbaret officium, pro quo adimplendo iam ipſe cum miniſtris, ſacris indutus progrediebatur. Ad quæ Epiſcopus, plebem ſuam iterùm aduocare, omnibuſque, ne ſupplicationi noſtrorum intereſſent, diſtrictiſſimè prohibere.

Cùm igitur Epiſcopi contentionibus res diuinæ nimiùm protraherentur, infectæ, deliumque deuotio lugendum in morum turbaretur, Sammartinenſium Procurator Epiſcopo expoſuit humillimè,

locum in quo ſtabat eſſe ab omni Epiſcopali iuriſdictione maximè immunem, territorium Apoſtolicæ Sedis; æquum non videri filium in iura parentis inſilire. Reuocaret in memoriam eâ-ipſâ die, quâ tam vrbanè à Sammartinenſibus ante annum exceptus fuerat, multa à ſe in Sammartinenſium priuilegia fuiſſe attentata. Hanc eſſe vnanimẽ Concanonicorũ ſuorum mentem, ſimilibus in poſterùm toto conatu obſiſtere, proque tuenda Sedis Apoſtolicæ authoritate, ſuiſque iuribus, tanquam pro aris & focis ſtrenuè decertare. Cui ſtatim Epiſcopus ſilentium minaciter impoſuit, affirmans ſe de toto apud Præmonſtratenſem Abbatem egregiè conqueſturum; vti de facto conqueſtus eſt, ſcripto Pariſios ad Inquiſitorem directo, & ab Inquiſitore Abbati Præmonſtratenſi 19. Iulij porrecto; cui quidẽ Prẹmonſtratenſis Abbas ſine mora reſpõdit hac ipſa Epiſtolâ, cuius tenor ſequitur.

A Monſeigneur l'Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Eueſque & Duc de Laon.

Monſeigneur i'ay regret d'apprendre de la bouche de Monſieur de Launoy, & de l'eſcrit duquel il m'a donné communication, que vous aués ſujet de vous plaindre des Religieux de

ſaint Martin de Loan. I'en ſuis ſenſiblement touché; & par vne des miennes, ie les exhorte à vous donner toute la ſatisfaction deuë: ie ſuis perſuadé qu'ils n'y manqueront pas, & qu'ils vous donneront à l'aduenir occaſion de les regarder de bon œil. Ils ont des raiſons à vous deduire pour la conſeruation de leurs priuileges, ie vous ſupplie tres-humblement de les eſcouter, & en receuant leur ſatisfaction, de conſeruer dans leur integrité les priuileges d'vn Ordre que vos Predeceſſeurs ont touſiours cheri & laiſſé ſans trouble en la poſſeſſion d'iceux pendant pluſieurs ſiecles. C'eſt ce que demande à voſtre Grandeur auec toute humilité, Monſeigneur, voſtre tres-humble & tres-obeïſſant ſeruiteur F. Auguſtin le Scellier, Abbé de Premonſtré. A Paris, ce 21. Iuillet 1657.

Iterum igitur mendacij & impoſturæ hâc epiſtolâ conuincitur Inquiſitor, aſſerens pag. 8. Præmonſtratenſem Abbatem ſcripto humaniſſimi Epiſcopi, & priuati alterius, puta Launoij, colloquio monitum, ea de re obmutuiſſe. Sed quæſo te (ô mendacij artifex parùm caute) quid ampliùs expectabas ab integerrimo Iudice, cùm ei ſcriptum porrigebas, atque cum eo nec tam modeſtè, nec tam vrbanè colloquebaris? quid cupiebas?

quid ſperabas? an vt æger Abbas ac lecto decumbens ſtatim equum cōſcenderet, Laudunumque ex templò doloribus inuitis, tranſuolaret? an vt Epiſcopo per ſcriptum ſuum accuſante, te deferente, parte inauditâ iudicium ferret, accuſatumque pro tua reuerentia, ſpreto omni iure exquiſitis addiceret ſuppliciis? Itane verò? ſed ipſe videris quàm præpoſterè hoc modo cauſam agebas Epiſcopi, videlicet, *Rei inauditi quaſi Innocentes pereunt*, inquit Iuris commune effatum. Sapientius igitur Abbas, iuris dicendi non ignarus. Vnicus in Epiſcopi ſcripto accuſabatur Sammartinenſium procurator; de Priore aliiſque altum ſilentium: ſcripſit itaque ad Priorem Abbas, incunctanter ac ſeriò de toto inquireret: ſi reus deprehēderetur Procurator, inquiſitione factâ, ſeuerè in ipſum animaduerteret, curaretque ſatisfactione quantociùs reparari, ſi læſerat: quòd ſi quid modum aut vires excederet, moneret ſine mora, vt efficacioribus promptioribuſque mediis reſtitui poſſent omnia.

Verùm vltionis impatiens Epiſcopus, & priuilegij nomen in Abbatis Epiſtola exaratum ferre non ſuſtinens: quod ſuo

recurſu ad Præmonſtratenſem Abbatem, mirabili priuilegiorum noſtrorum Regiarumque ordinationum vi atque euidentiâ raptus, ordinatè inchoauerat, totum præcipiti ac indignanti iracundiæ motu fœdauit ingloriè. Enimuerò ſtatim ac Abbatis Epiſtolam legit, Officiali ſuo mandauit expreſsè, vt in prætenſum crimen ſine mora ſedulus inquireret. Inquiſiiſſe fertur dicto citiùs Officialis, ac decreuiſſe vt Sammartinenſium Procurator, ſibi nulla ratione ſubditus, caperetur. Captus illicò eſt; ſed, ô ſuperi, quantâ religioſi ſtatus iniuriâ, quámque horrendo populi ſcandalo! videlicet bene ſibi conſcius ac nihil timens more ſolito res monaſterij tractaturus per vrbem gradiebatur, cum ecce de proximis vicorum diuortiis ab apparitore neſcio quo excitata cohors ex Epiſcopi domeſticis arciſque ſatellitibus compoſita in ipſum irruit, ac per vicos ignominiosè tractum, horrendum in carcerem detruſit: vbi Superioribus iterùm ac tertiò iuridicè repetentibus, bullis Pontificiis, ac toto Iure reclamantibus, iniuſtiſſimè atque arctiſſimè detentus eſt, pane lacrimarum & aquâ tribulationis in ampla menſura po-

tatus, nulli mortalium niſi affligentibus ſe viſibilis: donec rumore Arreſti ab integerrimo Pariſienſi Senatu aduentantis exagitata inauditæ ſæuitiæ ſitis, quæ hoc triſti ſpectaculo, diutiùs fortaſſis aliàs duraturo, reſtinguebatur, ex inimici Iudicis ore ſententiæ portentum excuſſit, quo Sammartinenſium Procurator inauditus (quippe Officiali minimè idoneo & competenti nuſquam reſpondere voluit, imò nec coram eo ſedente pro tribunali caput aperire, addēs; ſcire ſe quid Sacerdotali dignitati, quid ętati deberet; ſcire pariter quid non deberet iniquè exigenti.) *Reus dicitur impeditæ benedictionis, quam Illuſtriſſ. Epiſcopus dare diſpoſuerat, imò, incœperat, cùm initio, tùm in fine concionis* (quaſi mos iſte ſit in Gallia vt Antiſtites Illuſt. cùm initio tùm in fine populo ſolemni ritu benedicant) *atque in hunc finem organum conſcendiſſe circa eiuſdem concionis exitum.* Obſerua, Lector oculate, organum conſcendiſſe dicitur circa concionis exitum, vt benedictionem interturbaret eiuſdem concionis initio. *Atque in illati damni reparationem, ieiunio diei vnius in pane & aqua addicitur.* Qua quidem ex pœna colligent poſteri ſceleris

immanitatem, quòd ſufficienter caſtigari non potuit, niſi ieiunio diei vnius, & (quod notandum) vbi inimici ac denuntiatores in propria cauſa Iudices extitere.

Ego verò ſatis hîc mirari non poſſum ſtupidã Officialis induſtriam, dùm quod inquiſitioni ſuæ ac depoſitionibus teſtium prorsùs defuit, Inquiſitoris arte & exaggerationibus ſupplere nititur; & quod, lato poſt accuratiſſimam inueſtigationem Iudicio, conſcientiâ vrgente, adeò tenue, imò ſpectatis circunſtantiis planè nullum demonſtrauit, auxiliis à Rhetore ducto & conducto petitis, in immenſum quærit adaugere. Quaſi verò ex iſta conducentem inter & conductum adeò diſſentienti conſenſione alterutrum ſequi neceſſe omninò non eſſet; aut Officialem Iudicem eſſe parum æquum, qui crimen atrociſſimum, *quo* pag. 8. *ſcandalum in domo Dei generatum eſt, Sacramentum venerabile illuſum, dehoneſtata Altaria, Epiſcoporum dignitas Eminentiſſima protrita, functiones hierarchicæ vſurpatæ vel ſpretæ, in populis excitata indignatio, Sanctorum feſti dies turbati, in nefariæ coniurationis authore*: pœnâ tam leui

percuſſerit; aut, *ſi piè iuſtéque vindicatum eſt*, vti pag. 7. aſſeritur vindicatum; euanuiſſe Inquiſitorem in cogitationibus ſuis, dum id pueriliter ac putidè mentiens aggrauat, quod ſententia præcedens adeo imminuit: ſic nimirùm, iuſto Dei id exigente iudicio, *mentita eſt iniquitas ſibi.*

Quanquàm non deſit fortè qui credat, myſterio non vacare hanc Officialis ſententiam. Videlicet nouerant omnes ſcandalum totum, quantum fuerat, in Epiſcopum vt in cauſam vnicam refundendum eſſe, qui ad diuinis officiis, publicisque pietatis operibus occupatos, ac de ſe non cogitantes, ſponte, nec rogatus acceſſerat, & pro benedictione danda in territorio non ſuo, iure ac poſſeſſione reclamantibus turbarat omnia. Quod ſcandali genus, quoniam in Epiſcopo caſtigari non poterat; in Monacho, qui ſua duntaxat iura moderatè tutatus in nullo peccauerat, leuiter eſt vindicatum; vt ſi tota ſcandali ſuſpicio hoc pacto in Monachũ transferri non poſſet, ſed Epiſcopo inſeparabiliter adhæreſceret: ſaltem pœnæ leuitate, quantum erat in Officiali, minueretur coram populo magnitu-

Digitized by Google

dinis offenſionis exiſtimatio.

Neque verò hîc ſtetit Epiſcopi violentia: ſed, ne qua pars priuilegiorum Sammartinenſium ab impugnatione vacaret, exeunte Octobri proximo, intempeſtiuè, nulla id exigente neceſſitate, imò curis & ſolicitudinibus, quibus ciuitas & ſuburbia propter vindemiam nondum finitam detinebantur, plurimùm auertentibus, Confirmationem ac Tonſuram Clericalem conferre conſtituit; & relictis viginti baſilicis ſibi omni iure ſubditis ac paſſim in tota ciuitate occurrentibus, Eccleſiam ſancti Martini omnium remotiſſimam, in extremo ſuburbio collocatam, ſibi non ſubditam, non alio certè (vt notum eſt) quàm litigandi nocendi-ve animo, ſeligit. Diem igitur indicit, Simoni & Iudæ Apoſtolis ſacrum: &, ne omninò nullus adeſſet (quod ſane in talibus rerum circunſtantiis metuendum erat) Preſbyteris Eccleſiarum mandat, vt Confirmationis & Tonſuræ candidatos diligenter inquirant: quos repererint, rebus ſcitu factuque neceſſariis informent: informatos die præſtituto ad ſancti Martini Baſilicam ad ſe adducant. Atque vt

nota fieret omnibus voluntas ſua, eam typis mandari, mandatam verò ab appa-ritore locis publicis, ac Eccleſiarum, etiã Monaſterij ſancti Martini valuis, diebus aliquot ante præſtitutũ, curat affigi.

Quod vbi deprehendêre Sammartinenſes, per Priorem ſuum Epiſcopum adeunt, monent, orant, obteſtanturque, ne priuilegiorum ſuorum integritati iterùm & tertiò vulnus inflictum, nouâ nondùm obducti diuulſione cruentet: Sammartinenſe Monaſterium Ordinis eſſe inter alios matris Eccleſiæ religioſos Ordines ab Epiſcopali iuriſdictione maximè exempti. Præter notam omnibus plurium ſæculorum pacificam poſſeſſionem, extare huius exemptionis etiam in archiuis Epiſcopalibus monumenta quamplurima, quibus vnuſquiſque vel nolens conuincatur, illæsâ Sedis Apoſtolicæ authoritate hæc & ſimilia tentari non poſſe. Atque hæc quidem ſi non moueant, recogitet ſaltem quàm id ingratum quámque iniurium futurum ſit Eminentiſſimo Cardinali, cuius, vti Abbatis commendatarij ac tutelaris, protectioni locus erat ab vniuerſalis Eccleſiæ moderatore commiſſus:

dari

Dari poſſe tempus, mediaque oportuna, quibus pacificè & ex omnium votis hæc geri poſſint omnia. Sed verbum Epiſcopi, verbum Regis, pudetque iuſtè ac prudenter differendo, id videri retractare, quod præpoſterè conceptum, niſi tam multorum iura euertendo conſummari non poterat. Conſtantem igitur atque immutabilem ait eſſe voluntatem ſuam, remque ita fieri oportere, vti mandatum præferebat. Quod reſponſum vt noſtri acceperunt, atque Epiſcopum, ſeu precibus, ſeu rationibus flecti non poſſe, ei per Apparitorem Regium ſignificari curant actũ tenoris ſequentis.

Ce iourd'huy Samedy 27. iour du mois d'Octobre 1657. pardeuant nous Notaires Royaux au Baillage de Vermandois demeurans à Laon ſouſſignés, eſtans en l'Abbaye de ſaint Martin dudit lieu ſe ſont preſenté à nous les Religieux Prieur, & Conuent de ladite Abbaye ſouſſignés, qui nous ont remontré auoir apris par les affiches attachées aux portes des Egliſes & lieux publiques de cette Ville, meſme par celle qui a eſté attachée au grand portail de leur Egliſe par le nommé Tiercelin appariteur de la Cour Epiſcopale, le dix-neuf du preſent mois, que tres-R. Pere en Dieu Monſeigneur Ceſar d'E-

ſtrées Eueſque Duc de Laon, Comte d'Ainſi, & ſecond Pair de France, auoit publié qu'il confereroit la Cōfirmation, & Tonſure dans ladite Egliſe de ſaint Martin le Dimanche vingt-huictiéme du meſme mois, & que le Dimanche precedent vingt-vniéme il auoit fait publier aux proſnes des Parroiſſes le meſme deſſein. Ce qu'eſtant venu à leur connoiſſance, ils auroient fait repreſenter & remonſtrer tres-humblement à Mondit Seigneur, par F. Baſile Liegault leur Prieur, & F. Iacques Regnault Religieux de ladite Abbaye*, que leur Abbaye eſt exempte de la Iuriſdiction des Eueſques, que cette action en la maniere que ledit Seigneur Eueſque pretendoit la faire, eſtoit vne entrepriſe contre ladite exemption & la paiſible joüiſſance en laquelle ils ſont de temps immemorial, ſans y auoir eſté troublés par aucun des predeceſſeurs dudit Seigneur. Qu'ils ſeroient obligés pour ſe maintenir en ladite poſſeſſion de leurs immunitez, empeſcher le trouble que ledit Seigneur pretendoit faire, & que pour éuiter le deſordre qui pourroit arriuer en conſequence dudit empeſchement, ils ſupplioient ledit Seigneur de ſe déporter de cette entrepriſe, ou de leur donner acte de* non preiudice *& reconnoiſſance qu'il deſiroit faire la Tonſure & Confirmation dans leur Egliſe precairement,*

Digitized by Google

de leur gré, volonté, & conſentement, ſinon, que leſdits Religieux deſtitués de tout autre moyen, & n'ayans le pouuoir de reſiſter à ſa grande puiſſance, le prioient auec tout reſpect & defference de trouuer bon qu'ils fiſſent leurs proteſtations en tel cas requiſes. Et aprés que leſdits Liegault Prieur, & Regnault Religieux ont rapporté à leur Conuent, que ledit Seigneur Eueſque, ſans s'arreſter à leurs remonſtrances, leur auoit dit qu'il eſtoit en reſolution de paſſer outre, & de ſe tranſporter en ladite Abbaye au iour deſigné par les affiches, pour y donner la Confirmation & Tonſure, & qu'il n'auoit pas deſagreable qu'ils fiſſent telles proteſtations qu'ils voudroient. A cauſe dequoy leſdits Religieux Prieur, & Conuent ſouſſignés, congregés & aſſemblés en leur Chapitre pour la conſeruation de leurs droits, nous ont requis & ſupplié de leur donner acte de leur dire, & declarations cy-deſſus, & qu'ils reïterent d'abondant, & des proteſtations qu'ils font, que tout ce qui pourra eſtre fait par ledit Seigneur, ne leur pourra nuire ny preiudicier, attendu que cela eſt contre l'authorité du ſaint Siege, les priuileges de leur Egliſe, & la poſſeſſion en laquelle ils ſont de temps immemorial. Proteſtans en outre où ledit Seigneur Eueſque entreprendroit de paſſer outre, de faire reparer le

trouble & tort que ladite Abbaye pourroit ſouffrir, tant en general, qu'en particulier, & de recouurer tous deſpens, dommages, & intereſts. Lequel acte nous auons accordé auſdits ſieurs Religieux, Prieur, & Conuent, pour leur ſeruir & valloir en temps & lieu ce que de raiſon. Dont & dequoy en auons fait & dreſſé le preſent acte. F. Baſile Liegault Prieur de ſaint Martin, F. C. Cambray, F. Iacques Regnault, F. I. Le Danois, F. C. Nicolas, F. Charles de Roucy, F. C. Beuiere, F. Henry du Cauroy, F. Pierre Goſſet, F. Antoine Foullon, F. F. Docquin, N. Marquette, Laurent. Signifié le meſme iour par de Bully Huiſſier.

Quo quidem ſupplicationis, expoſitionis, declarationis, ac proteſtationis actu Epiſcopus nihilo pacatior aut æquior, die ſequenti per calcata tot iurium obſtacula, magnificè ſtipatus ac ſpirans minarum & euerſionis, ad Sammartinenſe Monaſterium confert ſeſe: cuius vt fores occluſas videt, pulſat vehementiſſimè, clamoreque ac ſtrepitu omnia complet: ſed boni Paſtoris oues non audiunt, *quippè non audiunt vocem alienorum*, miniſteriumque confuſionis, deſolationis, ac ſcandali videre reformidant. Aſt Epiſcopus ab incæpto reſilire

ſibi indecorum exiſtimans, ædium Abbatialium, quibus ad Eccleſiam communis eſt aditus, fores illicò effringi imperat. Domeſticis igitur, ac farinæ ſimilis hominibus dicto citius imperata exequentibus, tot aſſeres excutiuntur ex ianua, quot vni eorum intrudendo ſufficerent. Intruſus eſt, ibique ædes & aream circumquaque ſpeculando aliquandiù commoratus, per eadem abrupta egreſſus eſt, Epiſcopo neminem ſe mortaliũ vidiſſe referens. Quo quidem accepto, quieſcendum ſenſuit Epiſcopus ab egregio opere quod patrarat: id verò quâ ratione ductus, prudens lector diiudicet.

Quis porrò Inquiſitorem non rideat hic tam ineptè ſcripto, quam verbo ſolet, agentem concionatorem: *Abiurant* (inquit) *illam ſcripturæ clauſulam*, pulſate & aperietur vobis. *Aſpernantur & illam*, væ mundo à ſcandalis. *Tremendum Domini præceptum negligunt*, ſi autem manus tuà vel pes tuus ſcandaliſat te, aſcinde eum, & ſequentia quæ non parcè laudat. Quaſi verò omni pulſanti aperiendum præciperet Dominus, pulſanteſ-ve Virgines Euangelicas intra beatitudinis Ianuã ipſe recepiſſet. Quod autem ad ſcandalum at-

tinet, noſtri illud omni ſolicitudine co-conati ſunt auertere: Apoſtolica iura, iura Cardinalis Eminentiſſimi, ſuaque expoſuere, poſſeſſionem ante hominum memoriam, documenta etiam in archiuis Epiſcopalibus aſſeruata, media ſuggeſſere quibus pacificè res componi poſſent, obteſtati ſunt, proteſtati ſunt, quid vltra? Væ igitur eſt homini illi, per quem ſcandalum venit. Imò & tremendum illud Domini præceptum, *Si oculus tuus ſcandaliſat te, erue eum & proiice abs te*, &c. Totis viſceribus amplexati opere compleuerunt: nimirùm populi ac gregis oculus eſt Epiſcopus, aut enim nomen & officium mutet, aut ſpeculator & oculus ſit neceſſe eſt. Oculum igitur ſcandaliſantem à ſe proiecerunt, *bonum ſibi* futurum exiſtimantes vnico ſpeculatore, certo atque infallibili, Chriſti Domini Vicario *ad vitam dirigi*, quàm altero lippiente, ac diuertente, *duci in certum exitium*.

Atque hinc patet quàm conuenientiùs & æquiùs Epiſcopo aptari poſſint, quæ inquiſitor circa finem paginæ 10. ſtilo indulgendo in noſtros congerit: Si quid enim fuit *Quod gemitum & lacrymas*

à Catholicis , riſum & religionis noſtræ contemptum ab hæreticis expreſſerit. Si quis perniciosis actionibus vniuerſam ciuitatem offenderit , imbecilleſque animos corruperit. Si cuiuſquam defectione exemplo-ve poſt hominum memoriam peſſimo dies ſacer pollutus ac funeſtatus eſt : id totum , quantum eſt , Epiſcopi facto contigit , qui nec rationibus commotus , nec deceſſorum exemplo repreſſus , nec Cardinalis Eminentiſſimi , imò nec ſummi Pontificis authoritate deterritus, immemor gratiæ, memor iniuriæ inferendæ , nimium ſibi tribuenti nouæ dignitatis æſtimatione deluſus , Hierarchiam vertit , ordinatiſſimamque fidelium omnium ſub ſupremo vniuerſalis Eccleſiæ Principe diſpoſitionem, ac Sacrorum adminiſtrationem, *Nõ floccifacit modò , verùm etiam ſuperbè* , (niſi fortè non liceret iacula in nos contorta retorquere.) *Contumaciter, iniurioſe tractat & repudiat.* Læſa igitur eſt in Epiſcopi facto Epiſcopatûs dignitas omnis, mutatus eſt fidelitatis & obſeruantiæ in ſummum Pontificem color optimus, mœſtitiâ affectus communis & agnorum & ouiũ Chriſti Paſtor, *Qui* (cum Gregorio magno ab Inquiſitore laudato in fine pag. 11. *Nec*

honorem eſſe deputat, in quo fratres ſuos honorem ſuum perdere cognoſcit. Eius namque honor eſt vniuerſalis Eccleſiæ; eius honor eſt fratrum ſuorum ſolidus, (non tumidus) *vigor. Tum verè honoratur, cum ſingulis quibuſque honor debitus non negatur.*

Ego autem optarem, & ex animo optarem, (quò meliùs Inquiſitoris famæ conſultum foret) ipſe non tam multa, ſine delectu, ſine iudicio ex alienis operibus, eorum germani ſenſus rarus aſſequutor; ſeu doloſè, ſeu inſcitè frequens corruptor, exſcriberet; ſed pauciora, ſelectiora, nec à re aliena; quorsùm enim materiæ, non cohærentibus omnia velle farcire centonibus, niſi vt authoris prodatur imperitia, vel certè cerebri periculoſa propaletur infirmitas, quâ fit vt quo modo res ingeſtæ ſunt, eodem prorsùs indigeſtæ vbique egerantur.

Hâc imbecillitate preſſus indigeſtum euomuit pag. 12. Anaſtaſij quarti decretum, quo quidem nihil minùs euincitur, quàm quod ipſe intendit: enimuerò *ſi æquum eſt & rationabile* iuxta Anaſtaſium, *vt ſuus vnicuique honor Eccleſiæ, ac dignitas conſeruetur*: nonne ei, quam ſibi ſubditam ſeruatamque voluit authoritas Apoſtolica, ſuus honor ac dignitas iniquè irratio-

Digitized by Google

nabiliterque præripietur? *Si (* vt ait idem Anaſtaſius *) ſicut in humani corporis compage naturalis ratio ſingulis quibuſcunque membris ad ſalutem prouidens, ſpeciales & proprios actus edocet: Ita in corpore Eccleſiæ Apoſtolica prouidentia ſecundum ſacrorum inſtitutiones canonum vniuerſas regit Eccleſias:* Nonne Laudunenſis Epiſcopus, ſi ſe illi prouidentiæ directionique ſubſtraxerit, vti membrum emortuum ſalutis ac vitæ expers conuincetur? denique ſi *quemadmodum* eadem naturalis ratio *nobilioribus* membris *ſuam dignitatem conſeruat: ſic Apoſtolica prouidentia digniores & famoſiores* Eccleſias *in ſui ſtatus prærogatiua cuſtodit:* Nonne ſequitur euidentiſſimè Laudunenſem Eccleſiam de dignioribus & famoſioribus (puta de primatialibus, ac metropolitanis) non eſſe, cum ſtatus prærogatiuam in ſibi ſubditas Epiſcopales Eccleſias nuſquam habuerit? quanquam & illam in ſui ſtatus *Epiſcopalis Eccleſiæ* prærogatiua cuſtodierit eadem Apoſtolica prouidentia, cùm ei in non exemptas, in Collegiatas, ac Parochiales limitum ſuorum Eccleſias tempore ſancti Remigij Remorum Archiepiſcopi gratis & vltrò ius authoritatemque con-

ceſſam, ad noſtra vſque tempora illæſam ſeruauit. Adde, cum Eccleſia Romana ſit omnium digniſſima & famoſiſſima, atque in vniuerſas orbis Chriſtiani principatum tenens, nihil æquius aut rationabilius eſſe poſſe, quàm vt *in ſui ſtatus prærogatiua cuſtodiatur*, quæque ditioni ſuæ ſeruata voluit, hæc ab inferioribus intacta ſinantur. En vt in imperitum ſagittarium ſagittæ reſiliunt.

Neque verò minùs eſt indigeſtum quod in fine eiuſdem pag. 12. ex Diuo Bernardo ſe referre dicit, locum non notando vnde ipſe excerpſit: quis enim ferat doctorem tam vetulum, (imò vitulum) necdùm tempora, circunſtantias, modos in authoribus quos laudat didiciſſe diſtinguere. *Certus ſum* (dixerit primùm Bernardus) *ego monachus, & monachorum qualiſcunque Abbas, ſi mei quandoque pontificis à propriis ceruicibus excutere iugũ tentauero* (puta propriâ volũtate, ambitione, diſciplinæ impatientiâ, aut ſine aliquo ſuperioris authoritatis priuilegio) *quod ſatanæ mox tyrannidi meipſum ſubiicio*. Et hanc fuiſſe mentem ſuam poſtmodùm manifeſtiſſimè aperuit idem Sanctus Pater Epiſtola 48. ad Haimericum Roma-

Digitized by Google

næ ſedis Cancellarium, ab eo priuilegium enixè poſtulans, quo fultus iuſtè ac legitimè contradicere poſſit proprio Epiſcopo, imò & Apoſtolicæ ſedis Legato extrà monaſterium vocanti: huius hæc ſunt verba loco citato: *noxam vnde contrahere potuerim ignoro, cùm ſciam mihi conſilium eſſe & propoſitum, nunquam (ſi cauſa duntaxat noſtri Ordinis non fuerit) exire de monaſterio, niſi aut Apoſtolicæ ſedis Legato, aut certè proprio vocante Epiſcopo, quibus noſtræ humilitati, ſicut optimè noſtis, contradicere omnino fas non eſt, niſi ex quocunque ſuperioris authoritatis priuilegio. Quod vtique ſi vnquam per manum veſtram, vt ſpero, mihi in manus venerit, tunc proculdubio & pax mihi, & pax erit de me.*

Verùmenimuerò quis hic iuſtitiæ zelo non accendatur in Inquiſitorem, eiuſque, vel truculentam non deteſtetur inſolentiam, vel inſaniam non horreat? *Tu* (inquit pag. 12.) *Præſul Ampliſſime, nationem hanc pontifici ſuo ſubiectam cum inuenire putabas, ſatanæ ſubiectam inueniſti*. Ecce Pontifici Romano ſubiectam atque reſeruatam Sammartinenſem Eccleſiam, *ſatanæ ſubiectam* dicit: ita nimirùm communi Chriſtianorum parenti maledicit

furore inſaniens filius Belial; ita *in cælum ponit os ſuum*, ac *Chriſtum Domini tangit, veneno aſpidum ſub labijs* aſſeruato percutiens.

Quæ autem ex Euangelio refert pag. 14. his verbis, *Quid tibi videtur Simon, Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filiis ſuis, an ab alienis? & ille dixit, ab alienis. Dixit illi Ieſus. Ergo liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum; & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me & te.* Ad hoc vt propoſito vtcunque aptari queāt, noſtri ſunt cum Chriſto Domino ac Petro conferendi; Epiſcopus autem cum exigentibus tributum vel cenſum indebitum à filiis; atque hoc præſuppoſito, diſquirēdum è duobus vtrum rationi fuerit congruentius, an vt Epiſcopus à filiis indebitum non exigeret; an verò vt noſtri, ad hoc vt ſcandalum vitaretur, perſoluerent indebitum? Certè nemo ſanæ mentis, aut ad Chriſti Domini ratiocinium vel leuiter attendens, inficias ierit rationi fuiſſe longè conformius, vt indebitum Epiſcopus à noſtris non exigeret, quemadmodum par erat vt filij ab omni pror-

Digitized by Google

sùs exactione, tributo, vexatione liberi relinquerentur; *ergo liberi ſunt filij*. Liber igitur Chriſtus Dominus tributum ſoluit, vti licet innocens *iudicanti ſe iniuſtè ſe* lubens *tradidit*, *corpus percutientibus*, *genas velantibus* vltrò dedit. Vnde tamen non ſequitur, poſitâ immutabili Epiſcopi voluntate de indebito exigendo, noſtros, quò virtutis exemplum inſigne præberent, indebitum rationabiliter debuiſſe, vel etiam potuiſſe perſoluere: nimirùm Epiſcopo indebitum iſtud ſoluere non poterant, niſi ære alieno, idque inuito Domino; quia ſoluere non poterant, niſi proiectâ contra ſummi Pontificis voluntatem ipſiuſmet ſummi Pontificis authoritate, eiuſque inferiorum ſubiectâ auſui: ſoluere non poterant, niſi euerſis Ordinis integri iuribus, matre nudatâ, fratribus ſpoliatis. Quæ certè ſine grandi piaculo fieri non poterant. Ne verò ſcandalum & offenſio ex hac occluſione ſua ſequeretur noſtri nec debuere, nec potuere iuſtè prudenterque metuere; quippè Ciuitati Laudunenſi ſic erat aperta probataque Sammartinenſium ab eiuſmodi vexationibus immunitas & exemptio, vt ad Epiſcopi pro-

poſitum, tanquam nouum & inſolens, ſe-nioribus inauditum, Epiſcopi deceſſoribus abſconditum, tota obſtupuerit; cúmque viderent omnes illud opere compleri, conturbati vehementiùs atque conterriti quotquot aderant, hoc vnicum ſubmiſsè loquerentur abeuntes, *ſi hæc in viridi, in ſicco quid fiet?* Vndè patet ſcandalum & offenſionem omnem ab Epiſcopo.

Nullas igitur *Chriſto*, nullas *ſancitæ ab eo Epiſcoporum dignitati*, nullas *ſacris Canonibus aut Viennenſi Concilio*, immunitates opponimus: ſed Chriſti Domini, eiuſque Vicariorum, ac Conciliorum Oecumenicorum authoritatem Epiſcopo non obtemperanti, Epiſcopo repugnanti, leges ratas, temporum diuturnitate, obſeruatione plurium ſæculorum, deceſſorum approbatione firmatas & corroboratas, eaſque non ex armario ſolùm Præmonſtratenſium, ſed è tabulario Romanorum Pontificum, Laudunenſium, & aliorum erutas, apographa, archetypa opponimus; quæ quidem Inquiſitor, cùm illa ad Eminentiſſimi Cardinalis cõſilium, & ad ſupremum Magni, vt vocant, Conſilij Senatum, præmonito

iuridicè iterùm & tertiò Epiſcopo, delata ſunt, intueri poterat; ſed groſſæ calliditatis ac præſumptionis Inquiſitoriæ hoc fuit arcanum: videre noluit, ne famoſa hęc Inquiſitio deeſſet Eccleſię Dei; ne conceptus ille mons vindicandæ ac ſtabiliendæ dignitati Epiſcopali præparatus (quippe, ſi ei creditur, cauſam Epiſcopi Laudunenſis à cæterorum Epiſcoporum cauſa non ſeiungit; & prouidè id quidem, vt, qui de ſe nihil habet vnde non cadat, alienæ firmitatis opem enixè perquirat) in lucem edi non poſſet. *Videre & intelligere noluit, vt bene ageret*, atque ab iniuriis, mendaciis, & maledictis abſtineret.

Sed hoc caput cum Inquiſitore non ante finiam, quàm omnium oculis eius ratiocinium elumbe ſubiecerim in fine pag. 16. expreſſum: *Et certè* (inquit) *Si vera ſunt, nec ſubreptitia illa omnia priuilegia, nemo prudens & attentus* (prudentiâ & attentione Launoicâ) *Negabit vnquam, quin Pontifices nonnulli videantur eò maximè tenuiſſe clauũ Romanæ Eccleſiæ, vt Præmonſtratenſibus immunitates & priuilegia concederent.* Quid ita? quoniam ex iis *eſt qui duodecim eſt, qui quindecim eſt, qui ſeptem-*

decim, eſt qui vginti priuilegia conceſſit, vti habetur eiuſdem pag. initio, & in fine præcedentis. Sed ô conſequutio genio & ingenio Launoico digna: Inter Chriſtianiſſimos Reges, eſt qui commenſalibus & domeſticis libertates fauoreſque viginti conceſſit, eſt qui etiam illi numero non paucos addidit: Ergo *videntur ij Reges eò maximè clauum regni tenuiſſe, vt commenſalibus ac domeſticis priuilegia, immunitates, fauores concederent*; non autem vt hoſtes profligarent, Regni ſui limites protenderent, rebelles damnarent, ſubditorum ſaluti atque incolumitati proſpicerent, quod & ſtrenuè fecerunt. Inter inuictos regiorum exercituum præfectos, eſt qui cohortem vnam vigeſies, quia toties generosè ſe geſſerat, laudibus ac ſpoliis hoſtium cumulauit: ergo *ij præfecti videntur eò maximè regiis exercitibus præfuiſſe, vt cohortem illam laudibus & ſpoliis onerarent.* Denique à ſupremo Galliarum Senatu viginti ſucceſſiuè Arreſta emanarunt, quibus familia non ignobilis à viciniorum ac potentiorum iniuriis, & vexationibus protegeretur: ergo *illuſtriſſimus ille Senatus eò maximè videtur fuiſſe creatus, vt iſti ſingulari*

familia

familiæ prouideret ; non etiam vt omnibus ſeu principibus, ſeu infimæ plebis hominibus quod ſuum eſſet conſeruaret, potentioribus ne imbecillores opprimerent authoritate ſuprema obſiſteret, Regum noſtrorum annos teneros tueretur ac protegeret, quæ & diligenter præſtat.

Sic igitur tot Laudati ab Inquiſitore ſummi Pontifices diplomatibus ac priuilegiis Ordinem Præmonſtratenſem muniere : (quod certè ſtudij atque occupationis eorum pars minima, ſi fortè pars, fuit) vt bonum vniuerſalis Eccleſiæ, *Ad quod omnes creatos eſſe* cum Inquiſitore certo ſcimus, non omiſerint ; imò in illud diligentiſſimè incubuerint, quod ex eorum actis planum omnibus fit.

Atque hinc apertum eſt quàm vanè ex inſulſis concluſionibus, Inquiſitori, *Seſe obiiciat generalis, & veluti galeata obſeruatio, quà ipſe contra immunitatum & priuilegiorum vim tantam præſcribere ſe* dicit *in aditu Inquiſitionis ſuæ*, imò quàm infirma galea cerebrum debilius contegat, quod rationis phantaſmate tam frigido quadraginta trium ſummorum Pontificum à ſe Laudatorum, & Concilij Baſilienſis authoritatem ſibi videtur euertere.

Digitized by Google

CAPVT II. AD I. CAP. INQVISITIONIS RESP.

Inquiſitor partem aduerſam commendat inuitus, Cæſarem condemnat neſcius.

NOVVM genus detractionis hîc ab Inquiſitore aſſumptum eſt, & reuerâ ſimile aliquid habens operi Balaam, qui ductus & conductus ad maledicendum populo, magis cumulabat benedictionibus. *Quid iuſtius* inquit diuus Bernardus Epiſt. 48. ad Haïmer. *Quid iucundius, quàm vt quem reprehendere intendis, plus commendes: vt præconiis pro conuiciis vtaris neſcius: & volens detrahere, laudes inuitus?* Quid enim prçclarius quid ve illuſtriſſiùs in ſancti Patriarchæ noſtri atque in Ordinis Præmonſtratenſis commendationem congerere poterat Inquiſitor, quàm quæ hoc capite congeſſit? pergratum certè abſoluturus, nobiſque & ſibi fortè non iniucundum, ſi opus integrum ab hermanno hac de re compoſitum exſcribere voluiſſet; quippe

non ſuſpectas laudes, nec ſuſpectis, nec emendicatis laudibus addidiſſet, ac turgidior in publicum famoſus libellus ex eius manibus abiuiſſet. Sed quid hæc exſcripta Laudunenſis Epiſcopi cauſam iuuant? Niſi vt futuris perpetuiſque temporibus manifeſtum fiat, Cæſarem Bartholomæo deceſſore ſuo tantùm affectu erga viros religioſos inferiorem extitiſſe, quantùm tempore poſterior fuit; vt eas libertates, immunitates, & priuilegia, quæ pius deceſſor authoritate ſuâ inchoauit, quæque quadraginta tres ſummi Pontifices ſucceſſiuè auxerunt atque confirmauerunt, Cæſar à deceſſorum ſuorum obſeruantia in ſummos Pontifices degenerans hâc ætate molitus ſit euertere.

Verùm hæc ex Hermanno non eo animo retulit Inquiſitor, ſed *vt euidentius fieret ingrati animi crimen*. Eſto id quidem: vt de eius intentione non contendam, quæ ſatis aperta eſt: ſed ea quæ hîc ſunt à me dicta, euidentiora atque palpabiliora ſunt, quàm vt quis poſſit ambigere. Diſquirendum tamen animi gratiâ, vtrum hic ab Inquiſitore relata quid cōferre queant, ad hoc vt noſtri Sammartinenſes ingratitudinis iuſtè rationabiliterque inſimulentur?

Digitized by Google

Octo igitur paginis integris Ordinis Præmonſtratenſis initia, incrementum; ſanctiſſimi parentis Norberti reuelationes, eiuſque cum Bartholomæo Laudunenſi Epiſcopo ac Calixto II. Pontifice maximo colloquia; Præmonſtratenſis Eccleſiæ ædificationem; beati Hugonis Monaſterij Præmonſtratenſis à S. Norberto Abbatis inſtituti aſſiduum in vinea riganda ſtudium ſolicitudinemque non pigram; Bartholomæi in procurando, vt ad Sammartinenſem, Tenolienſem, Clarofontanum, Cuiſſiacenſem locum noſtri mitterentur, affectũ, ex Hermanno refert: ac tandem in fine capitis & paginę 26. non ampliùs exſcribens, ſed de ſuo colligens, ait: *Cæterùm ex iis quæ narrauit (* Hermannus ſcilicet *) omnibus colliguntur tria: primùm, Præmonſtratenſis Ordo fortaſſe nullus fuiſſet vnquam, niſi Norbertus fautorem & patronum inueniſſet Bartholomæum Laudunenſem Epiſcopũ: deinde, Bartholomæus Monaſteria quinque, quorum vnum eſt caput Ordinis, fundauit: poſtremò, Clericorum vel Monachorum Ordo nullus eſt, qui fundatorem habuerit Bartholomæo largiorem ac beneuolentiorem.* Addidiſſet & quartum ſi fuiſſet inſtituti ſui recordatus; nimirùm Sammartinenſes eſſe mortalium

Digitized by Google

ingratiſſimos: Quod quidem hunc in modum ipſe collegiſſet. Bartholomæus Ordini Præmonſtratenſi dedit initium; Norbertum Inſtitutorem, ac in eo Præmonſtratenſes omnes bonis omnibus cumulauit; quinque Norbertini inſtituti Monaſteria fundauit; Præmonſtrati locum cum Eccleſia (quæ aliarum Mater eſt) liberum Domno Norberto priuilegij ſui authoritate confirmauit: Ergo Sammartinenſes Iuribus omnibus, priuilegiis, immunitatibus, libertatibus, ſeu à Bartholomæo eiuſque ſucceſſoribus per quingentos quadraginta annos, ſeu à 43. ſummis Pontificibus, Generalibuſque Conciliis ſibi conceſſis, imò & inſtituto ſuo (ſiquidem totum hiſce legibus ab initio ſtetit, atque etiamnùm ſtat) quoniam ſic Cæſari Epiſcopo recèns creato Bartholomæi in Epiſcopatu ſucceſſori videbatur, nuntium remittere debebant: ad quod quidem, quia Cæſaris violentiâ & vexationibus flecti nuſquam potuere, in ingratitudinis profundum prolapſi ſunt: quippe Cæſari Bartholomæi Benefactoris ſui ſucceſſori non pluſquàm ſeruiliter ancillari, eo volente, eo iubente (hic nimirùm fuit pro ratione voluntas) iura ſua, iura ſuorum Abba-

Digitized by Google

rum, iura Pontificum Romanorum nolle proiicere, & pedibus dare conculcanda, *ignotum antiquis* flagitium fuit, *Temporibus nouiſſimis ab Apoſtolo gentium noſtris Sammartinenſibus* reſeruatum, *Ingratitudo*: Quo quidem vnico verbo noſter Inquiſitor, maledictis fæcundus, & in maledicendi arte ſupra modum induſtrius, fatetur ſe veterum conſenſu in noſtros Sammartinenſes *maledicta cuncta inſtauraſſe*; rectè, *maledicta*, vtpote gratìs, à non grato, contra non ingratos conficta, incaſſúmque ructata & euomita.

Quæ quidem vt vrgeam vehementiùs, digitóque palpandum demonſtrem, à vero quantum aberret inſimulantis propoſitio, libet rem à fundamentis inueſtigare hoc modo. Ingratitudo beneficium neceſſariò præſupponit, nullique in mentem veniet, ei nos ingratos eſſe poſſe, à quo boni nihil vnquam accepimus: noſtri itaque cum à Cæſare boni nihil acceperint, Cæſari quomodo ingrati eſſe poſſunt?

At Cæſar benefactoris eximij ſucceſſor eſt. Ei igitur in affectu ſuccedat, ſi debitores habere velit; *Beneficium enim* (inquit Seneca lib. 6. de Benef. cap. 7.) *Nullum eſt*,

niſi quod ad nos primùm aliqua cogitatio defert, deinde amica & benigna. Nam ſi quis coactus aliquid boni fecit, quin nos non obliget, manifeſtius eſt, quàm vt vlla in hoc verba impendenda ſint.

Sed etſi Bartholomeo Cæſar eſſet cogitatione affectuque erga Præmonſtratenſes conſentiens; quia tamen hæc à Sammartinenſibus exegit, quæ nec ipſi Bartholomæo in-grati animi teſtimonij exigere licuiſſet, audiendus planè non erat. Niſi forte quis credat leuiuſculo benefactori quoquo modo poſcenti nulla prorsùs eſſe deneganda; non omnia noſtra; non aliena, fidei noſtræ commiſſa atque depoſita; non quæ ſunt communitatis; non quæ ſupremæ authoritatis: ſed audito benefactoris nomine, ſtatim omnia eſſe traducenda, quidquid iura diuina humanaque reclament. Apage ab homine Chriſtiano has animi conſcientiæque proiectiones: diſcatque (ſi fortè neſciat Inquiſitor) non à me, ſed à gentili Seneca lib. cit. quouſque ſe beneficium extendat, vbi deſinat, quibus in circunſtantiis etiam in malum conuertatur: quæ benefactori liceat in gratiarum actionem repetere: quæ iniuſtè repetenti iuſtè negari oporteat.

Cæterùm, quò res iſta fiat illuſtrior, libet exponere candidè, quæ Præmonſtratenſes, quæ Sammartinenſes Epiſcopo Laudunenſi accepta ferre debeant.

Et vt à Præmonſtratenſibus incipiam. certùm planè eis à Bartholomęo de reditibus Epiſcopalibus omnino nihil eſſe conceſſum, præter terram magnâ ſui parte ſterilem & incultam, quæque vix duobus ſufficeret aratris: cuius quidem veritatis teſtis eſt omni exceptione maior Bartholomęus ipſe in Epiſtola ſua Apologetica ad Sampſonem Rhemenſem Archiepiſcopum, & ſub eius præſentia congregatum Prouincialem Conuentum, apud quos traductus fuerat, & accuſatus à Gualtero II. Laudunenſi Epiſcopo ſucceſſore; quaſi bona Laudunenſis Eccleſiæ diſtraxiſſet, ac Præmonſtratenſibus ea conceſſiſſet: epiſtolam integram refero, quoniam immortalitate digna eſt.

Venerando ſibique ſemper amabili Domino Sampſoni Rhemenſi Archieſpiſcopo, & ſub eius præſentia congregato ſancto Conuentui, Frater Bartholomæus in Fuſniaco pauper Monachus miſericordiam & veritatem diligere. Verecundiæ meæ ſilentium imperat huius ſancti Conuentus ſolemnitas, ſed frontem aperit &

ſtimulat ad loquendum in palam imminens famæ meæ periculum. Neque enim diſſimulare poſſum quod multorum vulgauit opinio, quod etiam vſque ad aures Domini Papæ volauit. Epiſcopales reditus me detraxiſſe rumor eſt, cui rumori plus iuſto credit Laudunenſis Epiſcopus. Meum ergo eſt ſuper his fateri quod verum eſt: intueri autem quod iuſtum eſt & tueri, veſtrum erit. Laudunenſis ſedes triſtis erat, & mœrens cum illuc primùm ingreſſus ſum, vtpote attrita ſeditionibus, & ignibus concremata; Ipſæ quoque res maioris Eccleſiæ afflictæ erant, & tenues reditus; Si illi porrexi manum vt reſurgeret, nouit Deus, nouerunt & Eccleſiæ filij. Verumtamen nihil eis contuli, quod ad reditus pertineret Epiſcopi præter porcos, quos vulgò verres vocant, quos menſæ Epiſcopali perſonæ ſoluebant Eccleſiæ. Hos, inquam, ad præbendam Canonicorum conceſſi, quoniam illos nec ſine pudore exigere, nec habere ſine moleſtia poteram. Præterea quinque dumtaxat Abbatias in noſtra Diœceſi reperi, rebus pariter ac religione dilapſas. In his Deo multiplicante miſericordiam ſuam, & numero & merito creuit ſanctorum numerus, & ſingulariter eſt poſſeſſio dilatata. Nouē inſuper nouæ religionis Monaſteria paſſim in eadem Diœceſi ſunt fundata. Horum in perſonis numerus numerum penè ex-

cedit; horum religio, religionis eſt ſpeculum; horum tam multa poſſeſſio eſt, vt tam multis abundè ſufficiat. Si manum beneficij me porrexiſſe negauero antiquis Eccleſiis vt reſurgerent, nouellis vt conſurgerent, mentiar. Profui ſanè ferè Eccleſiis omnibus, ſed nec quantum volui, nec quantum debui. Sanè Calixtus *Papa Domnum Norbertum, cuius memoria in benedictione eſt, fidei noſtræ commiſit, vt ei locum traderem eiúſque votis aſſiſterem. Terrã igitur ad Epiſcopũ pertinentem illi contuli,* que vix tamẽ duobus ſufficeret aratris. *Huius pars Verciniaco eſt poſita, alia pars apud Aniſi,* quæ tamen non multas iã annis ſtetilis & inculta iacebat. *De his itaque quæ ad Epiſcopales pertinebant reditus, nihil ampliùs me recolo detraxiſſe. Noſtro tamen fauore ac conſenſu quidam Eccleſiis contulerunt terras, quas à nobis habebant in beneficio; Cenſus tamen terrarum & vinagia nulli penitùs condonaui. De cætero ſi quid illi Sedi per nos acceſſit commodi aut honoris, nolo ante humanum procedat Iudicium; Si quid verò vt homo deliqui, in conſpectu hominum confundi non refugio. Cauſam itaque noſtram vobis tamquam Iudicibus allegare, tamquam teſtibus intimare volui, in quibus calumniatorem non timeo verum dicens. Liceat tamen & mihi aliquid audere apud vos, liceat aliquid humanum loqui.*

Nihil-ne Sedi noſtræ titulorum acceſſit & gloriæ, cùm tot & tantas parturiuit Eccleſias? Cum ſibi multiplicauerit tot Synodales perſonas? Cum ergo, vt audio, Dominus Laudunenſis ſuis viſceribus bellum parat, cur temptat quod fortè ei promouere non liceat? Si filios Dei congregaui, ſi Suſcepi iuſtum in nomine iuſti, *nemo mihi ſuccenſeat. Videat alius ne congregata diſpergat. Conſeruet vos Omnipotens pariter ad honorem ſui nominis, & per vos Eccleſiæ ſuæ religionem & ſanctitatem corroboret.*

Quouſque verò à Gualtero II. lis & controuerſia hæc aduersùs Præmonſtratenſes fuerit perducta, ex Epiſtolis Hadriani IV. Pontificis maximi ad Chriſtianiſſimum Regem Ludouicum VII. atque ad ipſum Gualterum II. ea de re conſcriptis licet colligere, quæ quidem Epiſtolæ referuntur lib. 2. Bibliot. Præmonſt. Cap. 15. pag. 431. & 432. Quem tandem finem lis eadem habuerit, & quàm abundè terra ſterilis & inculta ad Epiſcopales pertinens reditus per Præmonſtratenſes fuerit compenſata, liquet ex compoſitione Gualterum II. inter noſtroſque Præmonſtratenſes facta, Pontificiâ ac Regiâ authoritate firmatâ, quæ ſequitur, &c.

Adrianus Epiſcopus, &c. Eaque compoſitione

vel concordiâ mediante, &c. Ea propter ego Gualterus Dei gratiâ Laudunenſium vocatus Epiſcopus notum fieri volumus tam futuris quàm præſentibus, quòd temporibus noſtris inter nos & Hugonem Abbatem & fratres Præmonſtratæ Eccleſiæ querela emerſerit ſuper poſſeſſionibus inferiùs annotatis, pro eo quod minùs ordinatè bona Epiſcopalia nobis diſtracta viderentur. Tandem verò mediante Rege Francorum, & Archiepiſcopo Rhemenſi, & Epiſcopis, & Principibus hoc modo controuerſia illa compoſitionis finem accepit. Fratres quidem Præmonſtratenſes, vt ſaluis priuilegijs & poſſeſſionibus ſuis, firmam & perpetuam pacem poſſent adipiſci, trecentas libras prouenienſium ad inſtaurationem Curtis nobis noſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum permanſuræ, cum quingentis ouibus, vaccis viginti, iumentis duodecim, & ſuibus ſeptem nobis tradiderunt. Nos autem eis omnia, de quibus querela emerſerat, quæ temporibus prædeceſſorum noſtrorum Bartholomæi & Gualteri tenuerant, deinceps liberè & quietè poſſidenda conceſſimus, & communi aſſenſu Capituli noſtri præſentis ſcripti authoritate confirmauimus, &c. Qui igitur qualiacumque bona ſibi conceſſa tam profusâ liberalitate compenſarunt, Gualtero ſic, ſuo ſucceſſorumque nomine cum vſuris recipienti quid deberent tum poſtea? Qui

quidem Gualterus in aliquã pacis ac tranquillitatis noſtræ per tot controuerſias & lites violatæ ſatisfactionem, abdicato Epiſcopatu, copiis ſe Norbertinis adiunxit, quiete reſtitutâ nobiſcum fruiturus.

De Sammartinenſibus verò, quid ij nimirùm Epiſcopo Laudunenſi referre debeant acceptum? capite ſequenti commodiùs.

CAP. TERTIVM AD SECVNDVM INQVISITIONIS RESPONDENS.

Inquiſitor Bartholomæi Præmonſtratenſiumque commendationem, Cæſaris condemnationem proſequitur & confirmat.

HOc in capite proſequitur Inquiſitor octo iterùm paginis narrationem beneficiorum, quibus Bartholomeus, nunquam profectò ſatis laudandus, Præmonſtratenſes cumulauit, vt & virtutũ, quibus ſanctiſſimus Parens eiuſque ſocij Bartholomæum ſibi deuinxere. Quâ quidem narratione ignarum ſe rerum alienarum, æquè ac debilem propoſiti ſui aſſer-

torem prodit: enimuerò qui diſtinguere ac ſecernere non potuit, quænam Bartholomęus ex Illuſtri Rouciacorum familia diues & potens de propriis ac patrimonialibus bonis; quænam verò de reditibus boniſque Eccleſiaſticis conceſſerit, quî fieri poteſt vt alio, quàm Andabatarum modo ipſe congrediatur? ſtatuatque quid Bartholomęo tanquam ex propriis diuiti; quid vt Epiſcopo, proindeque ſucceſſoribus in Epiſcopatu, Præmonſtratenſes debeant?

Quæ porrò contulerit vt Epiſcopus, ſeu de bonis Epiſcopalibus, aut ad reditus Epiſcopales pertinentibus, ipſe ediſſerit epiſtolâ capite præcedenti relatâ, coram Prouinciali Synodo Villicationis ſuæ feriò rationem reddens; *terram igitur* (ait) *ad Epiſcopum pertinentem illi contuli, quæ vix tamen duobus ſufficeret aratris*, &c. *De his itaque, quæ ad Epiſcopales pertinebant reditus, nihil amplius me recolo detraxiſſe.* Cætera, quæ abundè ſatis in Præmonſtratenſes congeſſit, de propriis, paternis, ac domeſticis effudit, ſeu *erogando*, ſeu *coëmendo*, ſeu *vtiliores pro tempore commutationes* faciendo. Multa igitur, & ſanè multa Bartholomęo Præmonſtratenſes accepta ferre debent:

Epiſcopo vero Laudunenſi, præter honorem & reuerentiam, planè nihil.

Quandiu verò hæc à Bartholomęo collata in S. Parentem Norbertum beneficia recenſet Inquiſitor, tandiù aperit quàm longè ſit à Bartholomæo Cæſar in regione diſſimilitudinis, qui eos, quorum ille ſaluti ac quieti totus intendebat, modis omnibus exagitare non deſinit: tandiù carbones congeruntur in caput Conſiliariorum Babilonis, qui Epiſcopo recèns creato tam fœda initia, tamque turpem à deceſſoribus, imò à ſuperioribus ſuis ſummis Pontificibus defectionem perſuaſerunt: tandiù manifeſtè euincitur, Epiſcopo Laudunenſi nihil omninò debere Præmonſtratenſes; quippè qui tantâ animi contentione exigit indebita, quem non moueret lapidem, vt ſibi, ſi quæ forent debita, redderentur?

Quæ duo pag. 35. ſpectanda obiicere ſeſe circa quartum inſtrumentum ex calce operum Guiberti Abbatis relatum, ait Inquiſitor: *Vnum, ſancti Martini Baſilicam ſic in Laudunenſis Epiſcopi manu fuiſſe, vt illius vſum ſæcularibus Clericis auferre, & Norberti fratribus impertire potuerit: Alterum, Bartholomæum non abdicaſſe ſe eo iure, quod in*

ſancti Martini Baſilicam habuerat anteà, ſed illud totum ſibi ſuiſque ſucceſſoribus reſeruaſſe: A verò plurimùm eſſe aliena demonſtro in hunc modũ. Quòd enim ad primum attinet, conſtat ex Hermanno *oculato teſte, cui proinde*, ex Inquiſitore pag. 26. *fides omnis habenda eſt*, non ablatione vel eiectione Clericorum: ſed eorum deſertione ceſſione-ve, ſancti Martini Eccleſiolam quatuor & amplius annis ante relati inſtrumenti tempora in manum rediiſſe Epiſcopi: huius hæc ſunt verba cap. 8. lib. 3. de Miraculis ſanctæ Marię Laudunenſis ab ipſomet Inquiſitore cap. 1. relata: *erat tunc extra muros Vrbis Laudunenſis quædam Eccleſiola in honore ſancti Martini conſtructa, in qua iam idem Epiſcopus multoties Clericos religioſos, qui Deo ibi ſeruirent, poſuerat, ſed nullo ibi proficere valente, eadem Eccleſia in ipſius manu redierat.* Quibus quidem ex verbis colligo, non modo non eiectos à Bartholomæo Clericos, ſed nec ejici potuiſſe: ſi enim *in Epiſcopi manu locus ille tùm redijt*, cum Clerici abſceſſere; ergo in Epiſcopi manu antea, cum videlicet Clerici illum occupabant, non fuit; niſi fortè velit Inquiſitor id in manum redire poſſe, quod à manu nunquam exiuerat. Si igitur è manu exierat, ſeu

ſeu in Epiſcopi manu & poteſtate non erat quandiu Clerici illum habitabant, Clericos ab eo Epiſcopus arbitrio ſuo eiicere non poterat.

Quod etiam ad hominem ex ipſiuſmet Inquiſitoris mente verbiſque confirmari poteſt: nimirùm plus iuris in Clericos Bartholomęus non habuit, quàm in noſtros ſibi reſeruarit: Abbatem autem Sammartinenſem, (proinde & Canonicos noſtros, ſi quis enim poteſtati diſpoſitioni ve Epiſcopali inter eos ſubditur, maximè Abbas) non ſolùm non potuit eiicere, ſed nec corrigere, nec deponere, nec eligere, nec alium *in eius locum ſubrogare*: eo quippe ſe iure abdicauit initiò, cum noſtri primùm in ſancti Martini Eccleſiola poſiti ſunt, vti conſtat ex inſtrumento quod hìc ego cum Inquiſitore diſcutio: *Quòd ſi fortè Abbas ſancti Martini inſtigante diabolo à regulæ ſuæ tramite deuiauerit, conuentuſque ab Epiſcopo Laudunenſi atque Præmonſtrati loci Abbate in præſentia Laudunenſis Eccleſiæ in pertinacia & auerſione ſua permanſerit, Conuocatis eiuſdem Religionis Coabbatibus apud Præmonſtratum de regulæ ſuæ executione ſub eorum teſtificatione diſcutiatur atque corripiatur. Si verò in malo ſuo obſtinatus, & ſicut con-*

ſutatus incorrigibilis apparuerit, abſque vlla retractione ab eiſdem Abbatibus ſecundùm religionis ſuæ inſtitutionem deponatur, aliuſque idoneus eorum communi conſilio & Electione in locum eius è veſtigio ſubrogetur, & ab Epiſcopo Laudunenſi ordinetur. Bartholomæus igitur Clericos ab Eccleſia S. Martini, idque ex Inquiſitoris ratiocinio ac verbis non ſolũ non eiicere, ſed nec corrigere, nec eorum præpoſitum deponere, aut eligere, aut alium ſubrogare potuit: vel, ſi id potuerit, eo ſe iure comparatione noſtrorum abdicauit. Quod eſt etiam aduersùs ſecundum ab Inquiſitore in inſtrumento obſeruatum, liquidóque demonſtrat quantâ animi cæcitate percuſſus ſit, qui ea quæ coram poſita ſunt, quę exſcribit, ipſe non videt: audetque, ſcriptis ſuis licet reclamantibus aſſerere, *Ius totum in noſtros ſibi ſuiſque ſucceſſoribus Bartholomæum reſeruaſſe.*

Ex hoc igitur inſtrumento, ſi verum eſt, alterum è duobus ſequi omninò neceſſe eſt: aut Bartholomæum anteà Clericis Rectores non potuiſſe præficere; eoſdem Rectores, vbi exegiſſet neceſſitas, auferre vel deponere; Clericos eorumque Rectores & Præpoſitos corrigere vel eiicere: aut, ſi hęc potuit in Clericos, eo ſe iure

cõparatione Præmonſtratenſiũ abdicaſſe.

Sed in inſtrumento continentur hæc verba: *Sancitum eſt, vt ſicut ille locus ab antiquo in manu prædeceſſorum noſtrorum extiterat, ita & nunc in noſtra, ſucceſſorumque noſtrorum remaneat.* Ex quibus colligit Inquiſitor; ſuperioritatem, iuriſdictionem, directionem omnimodam Epiſcopos Laudunenſes tùm in Clericos continuò habuiſſe, tùm in noſtros ſibi reſeruaſſe.

Verùm quàm non ſit hęc appoſita dictorum verborum *in manu extiterat*, & *in manu remaneat*, interpretatio, vel ex eo conſtat; quòd ſic in prædeceſſorum & in Bartholomæi manu prius extiterat, vt, eo nõ obſtãte, è Bartholomæi manu exiuiſſet, & in Bartholomæi manu, Clericis abſcedẽtibus, rediiſſet, quemadmodũ ſuprà notatum eſt. Sic in Bartholomæi *manu remanebat*, vt nec degentes in eo Canonicos noſtros, nec eorum Abbatem corrigere, deponere, eligere, alium-ve ſubrogare poſſet, vti patet ex ipſomet inſtrumento. Item ſic in Bartholomæi *manu remanebat*, vt *Fratres*, *qui ad eum locum pro ſalute animarum piâ deuotione conuenirent, ordinato ſibi Abbate, ſecundùm regulam Beati Auguſtini ad tenorem Præmonſtrati loci canonicè viuere*

deberent: tenor verò Præmonſtrati loci is erat, non vt Epiſcopis, ſed vt Abbati Pręmonſtratenſi, tanquam Ordinis Capiti eiuſque Coabbatibus omnes ſubeſſent, quemadmodùm ſubiectos fuiſſe docet inſtrumentum ipſum.

Is igitur ſit dictorum verborum ſenſus: ſicut ille locus non ſic erat in Clericorum ſeu ſæcularium, ſeu religioſorum poteſtate & diſpoſitione, vt eum deſerendo, cuicumque vellent, inſciis aut inuitis prædeceſſoribus noſtris, tradere, vendere, vel reſignare poſſent; ſed, ſi contingeret ab ipſis deſeri, naturaliter in manum rediret Epiſcopi: ſic, ô Præmonſtratenſes, vobis liberum non ſit nobis aut ſucceſſoribus noſtris inſciis vel inuitis locum illum tradere, vendere, vel reſignare aliis; ſed, vobis eum deſerere volentibus, ſtatim is in noſtram ſucceſſorum ve manum redire debeat, quemadmodùm etiam ante quatuor annos, nullo ibi proficere valente, rediit.

Fortè etiam contorta non ſit hæc dictorum verborũ interpretatio, vt iis ſynodales conſuetudines duntaxàt ſeruatæ intelligantur. Hæc autem quàm à Bartholomęi mente aliena non ſit, vel ex eo li-

Digitized by Google

cet colligere, quòd ipſe in Epiſtola ſua Apologetica narrans quid titulorum & gloriæ Laudunenſi Eccleſiæ ex tot Abbatiarum fundatione acceſſiſſet, ſolius iuris aut conſuetudinis Synodalis mentionem faciat: *Nihil-ne* (inquit) *Sedi noſtræ titulorum acceſſit & floriæ cum tot & tantas parturiuit Eccleſias, cum ſibi multiplicauerit tot Synodales perſonas?* Quæ quidem iura conſuetudines-ve Synodales, tùm anteà, tùm eo tempore ab ipſomet Epiſcopo comparatione quorundam Monaſteriorum, & nominatim Præmonſtratenſis & Cuiſſiacenſis; tum paulòpoſt à ſummis Pontificibus comparatione totius Præmonſtratenſis Ordinis & ſingulorum Monaſteriorum, ablatæ ſunt & abrogatæ.

Verùm, ne ſint hæc omnia. Bartholomæus ſibi ſuiſque ſucceſſoribus omnem in Præmonſtratenſes iuriſdictionem retinuerit; nonne poſteriora iura, tot indultis Apoſtolicis Ordini Præmonſtratenſi, atque Eccleſiæ Sammartinenſi conceſſa, hiſce Prioribus cumulatiſſimè derogarent? Quibus ſi pacificam quinque ſæculorum & ampliùs poſſeſſionem adjicias, eamque ſpectante, nec reclamante Epiſcopo, quid ad hæc tanta inſtrumen-

tum diu antiquatum?

Conqueritur hâc eâdem pag. 35. Inquiſitor, quòd Præmonſtratenſis Bibliothecarius Diplomata non retulerit, quibus Bartholomæus Tenolienſe, & Cuiſſiacenſe Monaſterium fundauit: cauit autem ſedulò Normannus noſter ne Clarofontani Monaſterij fundationem ex Bibliothecario referret, quoniam ex inſtrumento conſtitiſſet, quàm parùm fidei mereatur homo, qui obuia quæquę, dubia, falſa, ſine delectu ſic temerè obtrudit. Hoc autem ex Bibliothecæ Præmonſt. lib. 2. pag. 468. hic ſubiicio, quò Clarofontanum Monaſterium non à Bartholomæo, ſed ab ipſis Præmonſtratenſibus fundatum, idque ex ipſiuſmet Bartholomæi teſtimonio cunctis pateat.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Ego Bartholomæus Dei miſeratione Laudunenſis Epiſcopus. Ad conſeruandum pacis & vnanimitatis vinculum omnium hominum, ſi fieri poſſet, noſtræ paſtoralitatis attinet cura maximè eorum qui toto anniſu ad ſupernæ pacis anhelant requiem, & pro ſuorum Deo famulantur & omnium remiſſione peccatorum. Quapropter Notum fieri volumus tàm præſentibus quàm futuris, quòd Hugo Abbas Præmonſtratæ Ec-

cleſiæ primus & fratres eiuſdem Eccleſiæ locum qui dicitur Clarus fons, quem in Alodio habebant, ſicut in eorum Romano priuilegio continetur, in Abbatiam pro modo ſuſceptæ profeſſionis ſecundùm regulam Beati Auguſtini contulerunt, & Domino Gerardo Abbate ibidem à nobis ordinato, in noſtri & Eccleſiæ noſtræ præſentia à ſeipſis emancipauerunt & liberum conceſſerunt. Quæ conceſſio ne aliquo modo deinceps immutari poſſit, impreſſione noſtri ſigilli confirmari à nobis expetierunt. Actum anno Dominicæ Incarnationis 1131. *Indictione* 9. *Epacta* 20. *Concurrente* 3. *Signum Bartholomæi Epiſcopi. Signa Guidonis Archidiaconi, Liethaldi Archidiaconi, Blihardi Cantoris. Signum Gualteri Abbatis S. Martini. Signum Albrici Presbyteri, Rotgeri Diaconi, Ioannis Diaconi, Arnulphi ſubdiaconi, Barthorlomæi Acoliti, Liſiardi acoliti. Signum Abbatis Præmonſtratæ Eccleſiæ, Nicolai Prioris, Rogeri Presbyteri, Harduini Presbyteri, Petri Diaconi, Godefridi Diaconi, Adam ſubdiaconi, Tibaldi ſubdiaconi, Onulphi acoliti, Simonis acoliti. Ego Radulphus ſanctæ Mariæ Cancellarius relegi.*

Porrò donatio Clarofontani loci S. Patri Norberto ſeu Eccleſiæ Præmonſtratenſi ab Alberto anno Dominicæ Incarnatio-

nis 1126. facta, habetur in Archiuis Præmonſtratenſibus, cuius & fit mentio loco Biblioth. Præm. ſupra citato. Sed hæc omnia diſſimulare voluit Inquiſitor, ne ſtatuto à ſe numero Abbatiarum à Bartholomæo fundatarum quid detraheret, ne *Romani priuilegij* nomen in inſtrumento exaratum eluceret.

Sicut autem Bartholomęus hoc Claro-fontanum Monaſterium non fundauit; ita nec Cuiſſiacenſe, quemadmodum ipſemet indicat in inſtrumento hìc pag. 36. ab Inquiſitore relato, his verbis: *Et nos ergo pro modulo noſtræ puſillitatis eorum veſtigiis aliquantantiſper inſiſtentes, ſi ſubſtantià minus ſuppetente tanta Deo offerre minimè ſufficimus, vel Religioſorum virorum vota benigno fauore proſequamur, ad petitiones ipſorum aurem humiliter inclinemus.* Cuiſſiacenſi igitur ab Luca fundato, ad ipſius Lucæ petitionem beneficium in hoc inſtrumento relatum adiecit, puta libertatem à Synodali conſuetudine, & *ab illo reſpectu* iuris Epiſcopalis, qui vulgò C*ircada* dicebatur.

Venio nunc ad ea quæ Sammartinenſibus à Bartholomæo ſunt conceſſa, (quò quæ ſunt à me in Capite præcedenti promiſſa fideliter adimpleam:) hęc autem om-

nia, non animo detrahendi illius gloriæ, cui nos fateor multa, & bene multa; ſed veritatis aperiendæ, calumniæque Inquiſitoriæ propulſandæ gratiâ. Conceſſit igitur noſtris Eccleſiolam (hoc nomine ab Hiſtoriographo ad hoc adinuento, quò nihil magni auguſti-ve ſuſpicarere) in honore ſancti Martini conſtructam, vacuam, nudam poſſeſſionibus, aut certè nudatam, deſolatam, paupertate rebuſque parùm ſecundis à ſuis habitatoribus multotiès, atque etiam tunc temporis planè derelictam, deſertione ac deiectione ſuâ curę plurimùm atque oneri Epiſcopo factam (vti Bartholomæus ipſe teſtatur in inſtrumento quarto hoc cap. ab Inquiſitore relato, his verbis: *Nouiſſimè anxij & de loci illius deiectione ſolliciti.*) Et quam niſi paupertatem eſurienti ac ſitienti Epiſcopus ipſe offerre non fuiſſet auſus, quemadmodùm colligere eſt ex Hermanno totiès ab Inquiſitore Laudato, qui cap. 3. ait: *Videns ergo Epiſcopus præfatum Norbertum Religioſam & pauperem vitam velle ſectari, ſuadere cæpit ei, vt in eadem ſancti Martini Eccleſiola remaneret. Et cap. 5. paupertatem tamen tantă in primis ibi ſuſtinuit, vt præter vnum aſinum Burdinum nomine, nihil pe-*

nè aliud haberent, quem in proximam ſiluam voſagi manè ducentes, lignaque cæſa dorſo eius imponentes Laudunum reducerent, & ex venditis lignis panem ſibi emerent, multotiès iam diu ieiuni manentes, donec panis ille emptus poſt nonam eis deferretur. Ipſi tamen conſolante Abbate Gualtero in tanta penuria non deffi-cientes, ſed aſſiduè Deo ſeruientes, &c. Cum id igitur Bartholomæus in noſtros contulit, quid, niſi ſollicitudine atque anxietate in pectus alterius reiectâ, vtrâque ſe exemit? Atque in hunc modum Monaſterij S. Martini fundator extitit, patientiæ nimirùm ac virtuti noſtrorum amplam ſubminiſtrando materiam: *Quà quidem per diuinam gratiam operante virtute, tam bona fortuna breui ſubſequuta eſt*, ait Hermanus, *vt infra duodecim annos pluſquàm quingentorum fratrum Deo ſeruientiũ ibi Conuentus inueniretur.* Hi enim teſte eodẽ Hermanno cap. V. *Aſsiduè Deo ſeruientes, & manibus propriis laborando paulatim proficientes, ad tantam iam ipſius tempore Deo donante prouecti fuerant abundantiam, vt ex vineis ſuis tria millia modiorum vini frequenter haberent; & tam in terrarum & molendinorum, quàm & in pecorum poſſeſsione cuncta penè Laudunenſis Epiſcopatus cænobia præcellant. Charitatis etiam*

& Hoſpitalitatis tanta ibi affluentia reperiebatur, vt propter hoſpitum aſsiduam ſuſceptionem, propter pauperum quotidianam releuationem, mirum in modum videretur ibi Deus *omnia multiplicare & augmentare, adeo vt iam inter præcipua & excellentia Franciæ Monaſteria computaretur.*

Quod ait Inquiſitor in fine pag. 38. *In ſumma, toties ſubit memoria Monachorum vel Clericorum plurium, quibus ob culpam longè minorem expulſis, alios benè moratos Epiſcopi ſuffecerunt. Aliena quærenda non ſunt exempla, domeſtica ſunt præ manibus. Bartholomæus primùm Clericos ſæculares, tùm alios in eorum locum ſuffectos de ſancti Martini Baſilica deiecit.* Id, inquam, duo complectitur; alterum, deiectos eſſe à Bartholomæo Clericos: alterum, ob culpam longè minorem eâ, quam Canonici noſtri nuper admiſerunt. Quorum alterum eſt aduersùs hiſtoriæ veritatem, vti ſupra oſtendimus: & certè, vt ingenuè dicam quod ſentio, nihil video, ſeu in toto hiſtoriæ contextu, ſeu in inſtrumento ex calce operum Guiberti deprompto, quod Inquiſitori fucum facere potuerit, eumque hanc in ſententiam inducere, vt crederet deiectos à Bartholomæo Clericos, vt *Norberti collegæ in-*

ducerentur, præter hæc inſtrumenti verba: *Nouiſsimè anxij, & de loci illius deiectione ſolliciti.* Verùm hâc phraſi, non clericorum eiectionem, ſed loci contemptum & abiectionem propter inhabitantium mores deprauatos, quia *nullus ibi proficere potuerat*, intelligi ac ſignificari, vel leuiter Grammaticus Inquiſitorem doceret. Alterum eſt aduersùs Moralis diſciplinæ puritatem ſinceritatemque: quod vt aperiatur, verba duntaxàt Inquiſitoria proponēda ſunt. *At deiectionis cauſa hæc*, inquit *pag.* 39. *importat crimen longè minus eo, quod Clerici Monaſterij ſancti Martini nuper admiſerunt. Hæc veritas argumenta non quærit; ſola ſufficit admiſſi criminis expoſitio, quæ in præfatione facta eſt. Deiecti à Bartholomæo Clerici, deiecti Fratres in ſe potiùs, quàm in publicum peccarunt. Clerici verò Monaſterij Sancti Martini in Epiſcopum fundatoris & benefactoris ſui ſucceſſorem, in Epiſcopatum, in Eccleſiam, in Chriſtianos omnes peccarunt.* Hæc fatuitas (ô Launoi) argumenta longè non quærit, ſola ſufficit textûs à te tribus lineis præcedentibus relati expoſitio. *Atque aliquandiu inibi commorantes* Clerici nimirùm qui ab te dicuntur eiecti, *de die in diem, peccatis exigentibus, imperitiâ ac negli-*

Digitized by Google

gentiâ exteriores poſſeſſiones magis magiſque deſererent, neque interiùs vel numero, vel religione proficerent. Do igitur eiectos eſſe, quoniam hîc, non errorem in hiſtoria, ſed ſtolidum tuum ratiocinium inſequor, quid tu ſimile modernis Sammartinenſibus affinges, ô peccatorum ponderator eximie? ſcilicet *peccatis exigentibus*, (vtique publicis atque communibus, nec enim propter occulta, vel vni, aut alteri peculiaria, Epiſcopali Iudiciariâ authoritate bonis ſpoliari, atque à proprio domicilio deturbari Communitas potuiſſet, ſpectante Laudunenſi Ciuitate) *peccatis*, inquam, *ſic exigentibus*, eiici, crimẽ importat lõgè minus eo, quod Sammartinenſes nuper admiſere. *Imperitiâ ac negligentiâ*, ſibi commiſſas ac Publico conſeruandas datas *exteriores poſſeſſiones magis magiſque deſerere & diſſipare*, longè leuius eſt inenarrabili Sammartinenſium delicto. *Interiùs*, in pœnam peccatorum id exigentium, *neque numero, neque religione proficere*, hæc quantacunque ſint occæcati à Deo atque obdurati animi ſigna, ad Sammartinenſium ſcelus nihil omninò ſunt. Nimirùm quibus in pœnam peccati deeſt virtus illa primaria, quæ Omnipotenti Deo cultum exhibet debitum; quorum

imperitià ac negligentià, ſeu ſpiritualia, ſeu temporalia Eccleſiæ bona dilapidantur, & effluunt; quibus peccata peccatis cumulantur, Lugente Ciuitate, Epiſcopo admonente, cohortante, caſtigante, eiiciente, ſi lubet; hi tuo Iudicio (vir bone) *in ſe potiùs, quàm in publicum peccant.* Qui *religionis defectu*, in Deum primariò; qui rei familiaris ac domeſticæ *neglectu*, in totam Communitatem præſentem futuramque; qui publicâ morum prauitate, ſcandaliſque publicam eiectionem merentibus, in totam rempublicã peccarũt. Hi, ô moraliũ Theologorũ Coriphæe, *in ſe potiùs, quàm in publicum peccauerunt*, atque adeò *eorum culpa longè minor leuiorque*, quàm ſit eorum, *qui peccarunt in publicum.* Quidnam igitur eſt *in publicum peccare*, cui nec æquari poſſint tot crimina? Audite poſteri doctrinam ſingularem, audite Pariſienſem Theologum proiectiſſimè adulantem, imponentemque: C*lerici verò monaſterij ſancti Martini in Epiſcopum fundatoris & benefactoris ſui ſucceſſorem, in Epiſcopatum, in Eccleſiam, in Chriſtianos omnes peccarunt.* Nimirùm tuo ſenſu Chriſtiani omnes, vniuerſalis Eccleſia, Epiſcopatus omnis in vnico Cæſare mirabili compendio colliguntur atque conti-

nentur; formaliter-ne, an eminenter, tu magiſter in Iſraël nondùm definiuiſti. Sed quæſo te, ſi à pari omnes Facultatis Pariſienſis Alumni, Facultas ipſa tota, Doctoratus omnis in te contineantur; tu verò prępoſterè ac delyrans ratiocineris, nonne qui ſtolidum tuum ratiocinandi modum egregiè carpet & inſectabitur, hic ſtatim & eo-ipſo in omnes almę Facultatis Alumnos, in Facultatem ipſam, in omnem Doctoratum impinget? Quære tu, ô Inquiſitor, quam aſſignare queas diſparitatem. Intereà vti quâdam recapitulatione Lectori exhibebo, Sammartinenſes, viros pios, ac religioſos, benè moratos, *de quibus*, præter te, *non eſt qui loquatur verbum malum*, non in benefactorem peccaſſe; ſed aduersùs Epiſcopi ſuccedentis, mala facientis, repugnantis violentiam, lenioribus Iuris cùm naturalis tùm poſitiui mediis, precibus, ſupplicationibus, declarationibus, proteſtationibus, oppoſitionibus, ac tandem forarum occluſione ſeſe deffendiſſe. Hoc ſi peccatum eſt, nonne Epiſcopus & Inquiſitor immunes erunt à peccato?

Digitized by Google

CAP. QVARTVM AD TERTIVM INQVISITIONIS RESPONDENS.

Stulto labore conſumitur Inquiſitoris ignorantia loquax.

HOc in Capite, nonnulliſque ſequentibus mihi videtur Inquiſitor ei non multùm abſimilis, qui Ciuitatem ſitu, locoque longè mutatam volens oppugnare, locum antiquum planè derelictum, rudera, veteres aggeres, turres deſertas, propugnacula vndequaque diligenter exploraret, eiſque machinas omnes, omnemque tormentorum bellicorum vim admoueret & applicaret, multò militum ſudore, labore ſuperfluo & inani, ſpe vtilitateque prorſus nullâ: ciuitatem verò ſtantem intereà, bonis, habitatoribuſque refertam, pace fruentem, intactam omni ex parte relinqueret, atque ad eam ne arma quidem, aciem-ve conuerteret. Quid enim confert ad Præmonſtratenſes à præſenti

ſtatu

ſtatu deiiciendos iſta *non ſat ſana* veterum priuilegiorum commemoratio, quibus poſteriora, ſi fortè his illa ſint conformia, firmitatem authoritatemque afferunt; ſi contraria, abrogationem atque antiquationem. Fuerint in primæva Ordinis inſtitutione Epiſcopis in aliquo ſubditi Præmonſtratenſes, Iura procurationum eis aliquo tempore perſoluerint: an ideò modò non prorsùs Exempti, ſi, quæ dedit ab Ordinis exordio initium exemptioni ſuprema Capitis Eccleſiæ authoritas, hæc ipſa ſucceſſu temporis, propter grauiſſimas irrefragabileſque rationes, omnimodæ Exemptioni nihil omninò addendum reliquerit? an ideò tolerandus ille detritorum, nouorumque ineptus ſartor, qui cum de forfice litigandum, de acu litigat? quaſi verò de præterita ægritudine robuſtus ac benè valens perpetuò æger eſſe deberet: aut qui puer pannis eſt inuolutus, iiſdem, cum in virum perfectum adoleuit, ligari oporteret: ligetur Inquiſitor, per me licet, qui ſenex, imperitis ratiociniis repueraſcere ſe prodit luculentiſſimè.

Dixi *non ſat ſanam* veterum priuilegiorum commemorationem ab Inquiſitore factam; quippè qui nec ad contextum ad-

Digitized by Google

uertiſſe ſe, nec verborum ſignificationem intellexiſſe, nec à ſimilibus ſaltem ſimilia explicare didiciſſe ſe apertè demonſtrat: garrulâ ſtupiditate in primis aſſerens, *in veteribus Præmonſtratenſium priuilegiis certum quoddam ius vniuſcuiuſque Epiſcopi conſeruatum*, quod ipſe per integrum caput explicare non poteſt. Legatur, relegatur caput hoc Inquiſitionis tertium, æternùm, quantum eſt in Inquiſitore, neſcietur quid, qualè, quàmque extenſum ſit ius illud.

Deinde, vbi de iure quodam Epiſcopis conſeruato tractare ſe dicit, teſtimonia benè multa profert, quæ ſunt de iuribus Parochorum, ſeu illarum Eccleſiarum à quibus mortuorum corpora aſſumuntur, vt apud nos ſepeliantur, conſeruatis. *Sic paruis componere magna ſolebat.* Id vero ne ſit; legatur fragmentum ex priuilegio Celeſtini II. relatum pag. 42. Quod tale eſt: *Si quis verò nobilium ſe ibidem ſepeliri deliberauerit, ipſius deuotioni & extremæ voluntati, niſi fortè excommunicatus ſit, nullus obſiſtat, ſaluâ iuſtitiâ matris Eccleſiæ.* Hæc ſi alia quàm Parochialia iura ſignificent, fateor me Latinè non intelligere.

Eadem habentur in fragmentis ex Eu-

genij III. & Hadriani IV. priuilegiis.

Eadem quoque, ſed expreſſiùs, in fragmento ex Lucij III. Priuilegio deprompto pag. 44. *Infirmos quoque abſolutos, qui in extrema voluntate ad vos ſe transferri, aut apud vos ſepeliri deliberauerint, nullus impedire, ſeu res eorum legitimas retinere præſumat, ſaluà tamen hæredum legetimà portione & Canonicà iuſtitià illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur.* Quæ quidem omnia quid ad Epiſcopos?

Demùm caput abſoluens in fine pag. 46. hanc verè Launoio dignam *Canonicæ iuſtitiæ* definitionem tradit: *Quid eſt porrò iuſtitia Canonica, niſi quæ Sacris Canonibus ſancitur?* O definitionem accuratam! ô rei naturam, de qua toto capite agitur, quamque nec ipſe ſic definiens norit, dilucidè explicantem orationem! ô facem, imò fœcem, confuſiones tenebraſque Launoicas à Lectorum animis egregiè diſcutientem! *Sic* (inquit) *ab hoc iure Canonico & iuſtitia Canonica*, tam dialecticè definita, tam clarè ac determinatè expoſita, tam nitidè expreſſa, *Non eximuntur Præmonſtratenſes Clerici, quos habet vnaquæque Diæceſis.*

Ad ſummuliſtas (ô Pariſienſis Theologe) à quibus diſce, ea, quæ ſunt æquiuo-

ca vel analoga, priùs diſtingui ac diſtribui debere, quàm definiantur: de quorum genere cum ſit *Canonica iuſtitia*, quæ multiplex ac varia in ſacris Canonibus exprimitur; de ea diuidenda priùs, déque aſſignando determinatè quid ſit ea, de qua in rudi ac indigeſta congerie textuum à te prolatorum, crebra fit mentio; quàm de ipſa ſic vagè, obſcurè, atque ineptè definienda cogitare debueras. Sed ſic egiſſe, ignorantiæ vel malitiæ Launoicæ id ſit argumentum euidentiſſimum; vt, qui apertam veritatem impugnare fortè non fuiſſet auſus, eam in immenſum cacoëtes abreptam, textuum infinitâ propemodùm multitudine, vti Cimmeriis tenebris circunfuſam, vel opprimeret, vel ſibi probaret inacceſſam.

Diſce igitur *Canonicam iuſtitiam*, ſeu *quæ ſacris Canonibus ſancitur*, aliam eſſe quæ propria eſt; aliam quæ nonniſi impropria, cuiuſmodi eſt illa quâ leges aut effectus iuſtitiæ iuſtitia dicuntur; aliam ſpiritualem, aliam temporalem; aliam quæ fori eſt interioris & occulti, aliam quæ exterioris & contentioſi; aliam quâ ſuperioritas & Iuriſdictio exercetur Eccleſiaſtica; aliam quæ tota ſita eſt in temporalis emolumen-

ri perceptione ; aliam quæ eſt Capitis Eccleſiæ in omnes ; aliam quæ eſt Patriarchæ in cunctas ditionis ſuæ nationes, aliam quæ Primatis, aliam quæ Metropolitani, aliam quæ Epiſcopi Ordinarij, aliam quæ Generalium Ordinum, aliam quæ Viſitatorum, aliam quæ Rectorum Eccleſiarum Parochialium, imò & inferiorum Sacerdotum ; aliam denique quæ locorum exemptorum, de quibus ſigillatim tùm in Conciliorum Oecumenicorum Canonibus, tùm in ſummorum Pontificum decretis leges conduntur, certaque ac determinata iura ſtabiliuntur cuique competentia.

Eam verò de qua hîc ſermo tam frequens, quæque toties *ſalua* dicitur *Diæceſanis Epiſcopis*, nec veram ſuperioritatem, nec poteſtatem iuriſdictionem-ve ſpiritualem vllam in noſtros importare, vel ſignificare ; ſed facultatem duntaxat exigendæ procurationis aut exigui emolumenti ad indicium præcedentis ſubiectionis, aut altarium ab Epiſcopis acceptorum : quæ quidem facultas à ſummis Pontificibus paulò poſt reſtricta eſt & limitata : ac tandem propter frequentiorem minùſque ordinatam Epiſcoporum hoſpitandi apud

nos, & procurationis exigendæ rationem ab iiſdem Pontificibus, etiam longè antè tempora Alexandri V. Epiſcopis omninò ablata eſt, ac penitùs abolita, quemadmodum conſtat ex indultis ſequentibus.

Innocentius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus Fratribus vniuerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis, in quorum Diœceſibus Grangiæ Fratrum Præmonſtratenſis Ordinis ſunt ſitæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Si veri Chriſtianæ Religionis amatores & cultores eſſetis, religioſis viris, in perſonis, vel rebus nullam moleſtiam inferretis, quorum potiùs tenemini grauaminibus obuiare. Verùm conquirentibus dilectis filiis Abbatibus & Fratribus Ordinis Præmonſtratenſis noſtris eſt auribus intimatum; Quod licet in eorum priuilegiis inhibitum ſit expreſsè, Ne quis Archiepiſcopus vel Epiſcopus, niſi in manifeſta neceſſitate, in eorum Grangiis hoſpitetur, quidam veſtrum in ſingulis Grangiis eorumdem Fratrûm, in ſuis D*iœceſibus conſtitutis Procurationes exigunt annuatim, quæ ſi eis aliquando fortè negantur, miniſtri eorum de animalibus eorundem Fratrum prædas violenter abducunt, quas vel pignori obligant, vel alienant omninò, nec Fratribus ipſis reſtituunt, donec pro requiſita Procuratione certa pecunia perſoluatur. Qui vt*

auaritiam ſuam & exactionem excuſent, friuolas exigendæ Procurationis cauſas aſſignant, vel quod in Grangiis illis Decimæ colligantur: vel quòd Canonici qui Parochialem Eccleſiam in vicinis locis obtinere noſcuntur, aliquando commorantur in Grangiis: vel quòd in eis Clauſtrum Sororum habeatur, quæ potiùs ex acceſſu veſtro materiam diſſolutionis accipiant, dùm confabulantur cum Clericis, & per officinas diſcurrunt, quam doctrinam recipiant ſalutarem. Quia verò cauſæ huiuſmodi friuolæ ſunt, nec earum occaſione Fratres ipſos in exhibendis Procurationibus credimus eſſe cogendos; Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus & diſtrictè præcipimus, quatenus Fratres ipſos contra indultam ſibi à ſede Apoſtolica libertatem, nec in prædictis, nec in aliis aggrauetis, nec exactiones aliquas illis imponere præſumatis. Alioquin non poterimus ſub diſſimulatione tranſire, quin eorum indemnitati contra exactiones veſtras paterna ſolicitudine conſulamus. DATVM *Laterani decimo Calend. Iunij. Pontificatus noſtri Anno tertio.*

Honorius III. eadem repetit & confirmat an. 1226. Eadem quoque Gregorius IX. an. 1230. Innocentius IV. an. 1246. & Alexander IV. an. 1256.

Per eam porrò *Iuſtitiam Canonicam* in-

telligi omninò non poſſe iuriſdictionem vllam in noſtros, patet ex illis-ipſis indultis hîc ab Inquiſitore laudatis, in quibus Præmonſtratenſium immediata ad ſanctam Sedem ſubiectio: authoritas & iuriſdictio Capituli Generalis, Abbatiſque Præmonſtratenſis in omnes & ſingulos Ordinis Religioſos: Patrum Abbatum in Monaſteria filiationis ſuæ, ſeu quæ à ſuis proceſſerunt: Vicariorum & viſitatorum in perſonas & loca deputationis ſuæ: Canonicorum noſtrorum in ſæculares domeſticos, ac totam familiam in curtibus & grangiis degentem, ſtabilitur, atque confirmatur. In quibus prætereà prohibetur Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Prælatis, ne ponant ſub interdicto Eccleſias noſtras, aut perſonas noſtras excommunicent, cùm noſtri exceſſus ab iis nec poſſint, nec debeant emendari. Quæ quidem omnia, vt notum eſt, ſtare non poſſunt cum ſubiectione ad Archiepiſcopos Epiſcopos-ve, tantùm abeſt vt eam ſubiectionem importare queant. Atque id vt cunctis pateat, Bullæ non per partes & fragmenta, quemadmodùm hîc referuntur ab Inquiſitore, ſed integræ legantur in Bibliotheca Præmonſtratenſi. Bulla

Honorij II. pag. 392. Bulla Innocentij II. pag. 622. Bulla Celeſtini II. pag. 428. Bulla Eugenij III. pag. eâdem. Bulla Hadriani IV. ibidem. Bulla Alexandri III. pag. 632. Bulla Lucij III. pag. 635. Bulla Innocentij III. eadem habet quæ Alexandri III. Lucij III. & Clementis III. Quemadmodùm & eadem habent Bullæ Honorij III. Gregorij IX. Innocentij IV. Vrbani IV. & Gregorij X.

Imò contendo veritatem aſſertionis meæ conſtare vel ex ſolis Bullarum fragmentis hîc ab Inquiſitore congeſtis, ſelectiſque: conſtare ex contextu ſermonis, qui cum de terrenis poſſeſſionibus, ac temporalibus bonis purè conceptus ſit, exceptionem illam *ſaluâ Diœceſanorum Epiſcoporum Canonicâ iuſtitiâ*, Quæ ad anteriora proculdubio relatiua eſt, de terrenis ſimiliter ac temporalibus emolumentis intelligendam eſſe, apertè euincit: conſtare ex ſimilibus ac permixtis loquendi formulis, *Saluâ Iuſtitiâ matris Eccleſiæ. Saluâ tamen hæredum legetimâ portione, & Canonicâ iuſtitiâ illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur.* Quas quidem ridiculus ille ſit, qui ad alia, quam ad Parochialia temporalia ſepulturæ iura vellet extendere.

Videritigitur Inquiſitor quâ prudentiâ, quo- ve futuro ſucceſſu hæc nobis obtruſerit. Enimuerò per has particulas *Saluâ Diœceſanorum Canonicâ iuſtitiâ* : vel intendit ipſe Diœceſanis Epiſcopis ſeruatam fuiſſe à ſupremis Pontificibus æqualem ac parem in Præmonſtratenſes, ac in cæteros Chriſti fideles iuriſdictionem & ſuperioritatem, vel inæqualem duntaxat, minorem, partialem, atque truncatam: æqualem non fuiſſe ſeruatam, vel ipſum *priuilegij* nomen, conceſſio, ac directio ad Præmonſtratenſes ſpecialiter facta, multò magis tenor ipſe atque complexio naturaliter euincit : ſi inæqualem & ex parte tantùm ſeruatam intendat, egregiè ſanè, quamuis incautè totali exemptioni ab Alexandro V. conceſſæ ipſe præludit: quippè qui ex parte ab Epiſcopali iuriſdictione potuit eximere, is ex toto, cum cauſæ ſuppetunt, liberare poteſt.

Digitized by Google

CAPVT V. AD IV. CAP. INQVISITIONIS RESP.

Hallucinatur Inquiſitor exiſtimans id propriâ ab Epiſcopis authoritate fieri potuiſſe, quod commiſsâ duntaxàt poterant.

ABDICARE magiſtratu potuerint Epiſcopi ſub ipſo naſcentis Ordinis initio Abbates incorrigibiles authoritate Pontificiâ ſibi commiſſâ : quia videlicet Ordo in diſſitis orbis terrarum partibus , & ab Archicœnobio Præmonſtratenſi remotioribus, ſibi ad hæc difficilia nondùm fortaſſe plenè ſufficiens , alienæ poteſtatis opem , præſidiumque poſtulabat : quid inde? ſi aliunde conſtet (vti nimiùm conſtat, ac de Laudunenſi Epiſcopo nominatim comparatione Sammartinenſis Abbatis) & Epiſcopos in Abbatiarum noſtrarum fundationibus eo ſe iure abdicaſſe; & poteſtatem hanc à ſummis Pontificibus

non vltrà commiſſam Epiſcopis, ſed ad Abbatem Præmonſtratenſem & ad Capitulum Generale tranſlatam, quemadmodum tranſlatam videre eſt, atque conceſſam ab eodem Innocentio II. hîc ab Inquiſitore laudato an. Chriſti 1141. ſequenti diplomate.

INnocentius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filijs Abbatibus ac Præpoſitis Ordinis Præmonſtratenſis atque profeſſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Qui diuina diſponente clementia locum Paſtoris obtinere meretur, neceſſe habet non ſolùm de ſua, ſed etiam de Fratrum ſuorum ſalute ſollicitè cogitare. Certus exiſtens, quòd ſicut pro bonis operibus tam ſuis quàm eorum, qui ſibi committuntur, retributionem à Domino & benedictionem accipiet. Ita è contrario, ſi quod abſit, vel ipſe oberrauerit, vel ſubditos ſuos exorbitare permiſerit ſententiam damnationis incurret, quem etiam oportet medici vicem agere, vt quæ cognouerit fouenda confoueat, & quæ viderit amputanda, ferro diſcretionis abſcidat. Hoc nimirum intuitu conſtituimus, vt ſi aliquis Abbatum veſtri Ordinis atque profeſſionis ſiue Præmonſtratæ Eccleſiæ, ſiue alterius loci, quod Deus auertat, in crimine fuerit deprehenſus, aut prorſus inutilis in officio apparuerit, Communi omnium veſtrûm, vel

Digitized by Google

etiam maioris & ſanioris partis conſilio, huiuſcemodi deponendi, & loco eius alium ſubrogandi ex noſtra conceſſione habeatis liberam facultatẽ. DATVM *Laterani* 12. *Calend. Ianuarij.*

Conceſſam item ab Adriano IV. an. 1154.

Adrianus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Dilectis filijs Hugoni Præmonſtratenſi Abbati atque eiuſdem Ordinis Abbatibus, Præpoſitis, eorúmque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Sicut in humano corpore membra plurima eſſe noſcuntur, & alia in maiori honore habentur, quoniam pro excellentiæ ſuæ dignitate ſunt priora. Ita in corpore Chriſti quod eſt Eccleſia plurimi ſunt ad honorem & laudem Domini congregati. Quidam tamen propenſiùs in ipſius laudibus atque ſeruitio commorantes, ſicut membra excellentiora in Chriſti corpore numerantur, & ſunt quaſi luminaria in firmamento cæli, quæ terrenos illuminant, & ad Chriſti ſeruitium proprij vnguenti odore ſtudent alios attentiùs prouocare. Vos autem filij in Chriſto chariſſimi, quoniam de illorum numero vos eſſe cognoſcimus, ſincero charitatis affectu diligimus, & veſtris iuſtis poſtulationibus gratum volumus exhibere conſenſum, vt tantò feruentiùs in Domini vinea laboretis, quantò apud matrem veſtram ſacro-ſanctam Romanam Eccleſiam maiorem gratiam ſenſeritis inueniſſe. Quocirca, di-

lecti in Domino filij, veſtris precibus annuentes. Statuimus & Apoſtolicæ ſedis authoritate ſancimus, vt omnes Abbates & Præpoſiti Præmonſtratenſis Ordinis ad commune Capitulum annuatim Præmonſtratum veniant, niſi fortè ſint proprij corporis infirmitate detenti, vel ex communi conſilio licentiam habeant remanendi. Quatenus vobis omnibus in Chriſti nomine congregatis, euellenda poſſitis euellere, & plantanda firmiter ſtabilire, atque de communi vtilitate Ordinis diligentiſſimè pertractare. Statuimus etiam vt nulli Archiepiſcopo vel Epiſcopo liceat aliquem de Ordine veſtro ad ipſum Capitulum venire volentem, modis aliquibus prohibere. Ad hæc præſenti decreto ſancimus, vt Ordo Canonicus qui ſecundum Deum & beati Auguſtini regulã atque Præmonſtratenſiũ fratrũ Conſuetudinẽ in veſtris Eccleſiis dignoſcitur inſtitutus, in eiſdẽ perpetuis tẽporibus inuiolabiliter obſeruetur. Ad maiorẽ quoque obſeruantiã veſtri Ordinis, fugitiuos veſtros excõmunicandi vobis licentiam indulgemus. Interdicimus etiam vt nullus ſine licentia Prælati ſui aliquem de ipſis fugitiuis audeat retinere. Vt autem de bono in melius ſemper poſſitis proficere, & Ordinem veſtrum in ſuo rigore meliùs cuſtodire, præſentis decreti aſſertione firmamus, vt liceat vobis Abbates qui fuerint in crimine deprehenſi, & eos quos

prorſus inuenietis inutiles, ab officio Abbatis deponere & conſilio Capituli in aliqua Eccleſiarum veſtri Ordinis collocare. Prohibemus etiam vt nullus Abbas Præmonſtratenſis Ordinis, de vna Abbatia ad aliam ſine communi conſilio transferatur. Fratribus vero Præmonſtratenſis Eccleſiæ, quæ mater eſſe dignoſcitur aliarum, de qualibet Eccleſiarum eiuſdem Ordinis liceat Abbatem recipere, & in Præmonſtratenſi Eccleſia ordinare. Sed & hoc adiicientes Apoſtolica authoritate ſancimus, vt quod à vobis communi conſilio de obſeruatione Ordinis veſtri, ſeu rigore rationabiliter fuerit ordinatum, inconcuſſum permaneat, & à nullo penitùs infringatur. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat hanc noſtræ Conſtitutionis paginam temerario auſu infringere, ſeu ipſi modis quibuſlibet contraire, ſaluâ ſedis Apoſtolicæ authoritate, &c. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularíſve perſona hanc noſtram conſtitutionem ſciens, contra eam temerè venire tentauerit, ſecundò tertióve commonita, ſi non reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe diuino Iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſsimo corpore Dei & Domini redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat, &c.

Amen. Amen. Signatum.

Ego Adrianus *Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. Ego Hugo Hoſtienſis Epiſcopus. Ego Gregorius Sabinenſis Epiſcopus. Ego Guido presbyter Cardinalis tituli ſancti Criſogoni. Ego Guido Diaconus Cardinalis S. Mariæ in porticu. Ego Iulius presbyter* Cardinalis *tituli ſancti Marcelli. Ego Henricus presbyter Cardinalis tituli ſanctorum Nerei & Achillei. Ego Ioannes presbyter* Cardinalis *tituli ſanctorum Sylueſtri & Martini. Ego Odo Diaconus* Cardinalis *S. Nicolai in carcere Tulliano.* DATVM *Romæ apud ſanctum Petrum per manum Rolandi S. R. E. presbyteri, Cardinalis & Cancellarij tertio Nonas Ianuarij, Indictione tertia, Incarnationis Dominicæ Anno 1154. Pontificatus verò Domini Adriani Papæ quarti Anno primo.*

Ab Alexandro III. an. 1177. *Alexander Epiſcopus*, &c. pag. 632. Bib. Præm.

A Lucio III. an. 1183. pag. 635. Ab Vrbano III. an. 1187. pag. 640. A Clemente III. an. 1188. pag. 643. Ab Innocentio III. an. 1198. pag. 645. Ab Honorio III. an. 1217. pag. 650. A Gregorio IX. an. 1227. pag. 655. Ab Innocentio IV. an. 1249. pag. 673. Ab Vrbano IV. an. 1261. pag. 685. A Gregorio X. an. 1272. pag. 689. A Clemente VI. an. 1343. pag. 699.

CAP.

Digitized by Google

CAP. SEXTVM AD QVINTVM. INQVISITIONIS RESPONDENS.

Suffoſſionis & ignorantiæ conuincitur Inquiſitor.

MIRVM ſanè eſt quantùm ſe Inquiſitor hoc in cap. ſinceritatis, ac boni ſenſus expertem prodat, qui modis omnibus, quà ſuffodiendo, quà diſtorquendo, quà ex præpoſterè intellectis antecedentibus abſurda quamplurima ridiculè eruendo, veritatem in iniuſtitia detinere nititur.

Suffoſſoris munere egregiè fungitur in eo priuilegio, quod ab Eugenio III. Præmonſtratenſibus conceſſum refert in fine pag. 52. vbi ſponte ea verba ſuppreſſit, quæ authoritatem ac iuriſdictionem Abbatis Præmonſtratenſis in omnes Abbates Ordinis, atque eiuſdem Ordinis immediatam ab Apoſtolica Sede dependentiam ſtabilitam confirmatamque teſtantur: quod quidem vt nemo non videat, priuilegium ex integro refero.

Eugenius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Dilectis filiis Abbatibus & Præpoſitis vniuerſis Præmonſtratenſis Ordinis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pro ſtabilitate Ordinis & religionis obſeruantia ſtatutum eſt, vt vniuerſi Abbates & Præpoſiti Præmonſtratenſis Ordinis ad Præmonſtratenſe Capitulum ſemel in Anno conueniant, ibique communi fratrum conſilio corrigenda corrigant, & quæ ſtatuenda fuerint, authore Domino ſtatuant. Nunc autem, ſicut accepimus, quidam veſtrûm Epiſcoporum ſuorum prohibitionem prætendentes, ad tam ſanctum Conuentum venire contemnunt. Ideóque per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus atque præcipimus, quatenùs tam ſanctam Inſtitutionem nullatenùs negligatis, ſed ſicut ſtatutum eſt ſemel in Anno conuenientes, quæ ibidem, vt diximus, pro ſtabilitate Ordinis ſtatuta fuerint, irrefragabiliter obſeruetis, alioquin ſententiam quam Abbas Præmonſtratenſis, Fratrum ſuorum conſilio, Abbatum videlicet qui conuenerint, in contemptores regulariter promulgauerit, Nos authore Domino ratam habebimus. *DATVM Narniæ vndecimo Idus Martij, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.*

Verba ab Inquiſit. ſuppreſſa.

Hanc verò Præmonſtratenſis Abbatis ac Capituli Generalis authoritatem, im-

mediatamque à ſancta Sede dependentiam confirmatam vidit Inquiſitor ab Adriano IV. anno 1154. indulto cap. præcedenti relato.

Vidit, inquam, hanc confirmationem; ſed diſſimulauit: quemadmodum & illam, quæ ab Alexandro III. prodiit anno 1173.

Diſſimulauit, inquam, hæc omnia, vt ad priuilegium à Lucio III. anno 1180. conceſſum vti reus ad laqueum cito properaret. Verbo vt abſit inuidia, priuilegium ex integro ab Inquiſitore refero, quò vel ex nuda textus ipſius exhibitione cunctis pateat, cuius authoritate & ſtatuto Abbates ad annuum Capitulum cõuenire debeant? venire detrectantes, cuius mandatum contemnant? abſentium excuſationes, cuius ſit admittere, vel reprobare? in reprobatarum authores, cuius ſit ſententiam ferre? eiuſmodi ſententiæ exequutio quibuſnam ab Apoſtolica Sede committatur?

Lucius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis & Epiſcopis per regnum Teutonicum conſtitutis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quæ à viris Eccleſiaſticis pro conſeruatione religionis & ordinis in

Eccleſia Dei rationabiliter ſtatuuntur, firma volumus, & illibata perſiſtere, ne ſi temeritate cuiuſlibet fuerint vacuata, vigor diſciplinæ depereat, & graue periculum proueniat animarum. Sanè cum ab antiquo, in Ordine Præmonſtratenſi fuerit inſtitutum, vt Abbates & Præpoſiti annis ſingulis ad generale Capitulum debeant conuenire; Quidam occaſione præteriti Schiſmatis vocati, eò venire detrectant, mandatum Abbatis Præmonſtratenſis, & Apoſtolici culminis contemnentes. Quocirca vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenùs ſi qui veſtræ iuriſdictioni ſubiecti à memorato Abbate ad Capitulum euocati accedere recuſauerint, niſi de Maioris Abbatis fuerit eis prouiſione remiſſum, aut alia rationabilis & neceſſaria cauſa eos reddiderit excuſatos, ſententiam quam in eos propter hoc tulerit ſeruetis & faciatis vſque ad dignam ſatisfactionem inuiolabiliter obſeruari. DATVM *Laterani quarto Calend. Ianuarij.*

Authoritate Pontificiâ Ordini conceſsâ ſtatuuntur quæcumque in Capitulis Generalibus rationabiliter à viris Eccleſiaſticis pro conſeruatione Religionis & Ordinis in Eccleſia Dei ſtatuuntur: non obtemperantes Abbatis Præmonſtratenſis & Apoſtolici culminis mandatum con-

temnunt : ſic contemnentium culpas Maioris Abbatis eſt vel remittere, vel in eos ſententiam ferre : Latam ab Abbate ſententiam Archiepiſcoporum & Epiſcoporum eſt, vti Sedis Apoſtolicæ delegatorum, *Seruare, & facere vſque ad dignam ſatisfactionem inuiolabiliter obſeruari*; Quemadmodum ſolet à ſupremo Senatu famoſiorum Arreſtorum exequutio locorum iudicibus committi. Quid magni ex his omnibus ad iuriſdictionis Epiſcopalis in Præmonſtratenſes commendationem, ô Doctor optime?

Rem verò penitùs abſoluit idem Lucius in ſuo diplomate, anno 1183. in gratiam Præmonſtratenſium relaxato, cuius tenor habetur in Bib. Præm. pag. 635.

Quam quidem Bullam renouauit Vrbanus III. anno 1187. Præmonſtratenſis Ordinis ab Epiſcopali iuriſdictione omnimodam exemptionem, & in ipſo Ordine ſtabilitam iuriſdictionem confirmans. Idipſum Clemens III. anno 1188. Innocentius III. anno 1198. Honorius III. an. 1217. Gregorius IX. an. 1227.

Quæ verò Innocentij III. hîc referuntur Epiſtolę Inquiſitorem non iuuant, aut eum ad ſaniorem mentem rediiſſe perhibent:

nimirùm in priori aſſerit Pontifex, *Accepiſſe ſe quòd à prima plantatione religionis Præmonſtratenſis generalis inſtitutio emanauit, vt Abbates & Præpoſiti Præmonſtrat. Ordinis certis temporibus conueniant Præmonſtratum, vt ſi quæ forſan vel inſtitutionibus noſtris, vel perſonis fuerint corrigenda, de communi Abbatum & Præpoſitorum conſilio corrigantur, & reformentur in melius, quæ viſa fuerint reformanda.* Emanauit autem hæc inſtitutio, non ab Epiſtolis, qui pluribus in partibus eam modis omnibus conabantur eneruare, ſed ab Abbatibus & Præpoſitis Capitulum Generale componentibus, à Sede Apoſtolica legum condendarum authoritatem habentibus; quibus quidem legibus non parentes, nec Epiſcopalis prohibitionis, nec priuilegij exemptionis à Romana Sede obtenti prætextus ab excommunicationis per Abbatem Præmonſtratenſem ferenda ſententia ſecuros intactos-ve redderet. Archiepiſcopis inſuper & Epiſcopis diſtrictè præcipiendo mandatur, vt eâdem excommunicationis ſententiâ, cum fuerint ab Abbate Præmonſtratenſi & Generali Capitulo ſuper hoc requiſiti, inuentos contumaces percellant, atque

Digitized by Google

contumacium Eccleſias tanquam ad id ab Apoſtolicâ Sede mandatum ſpeciale habentes, cum ab iiſdem fuerint requiſiti, ſententiæ interdicti ſubiicere non poſtponant.

In poſteriori autem durè ſatis increpat Treuirenſem & Magdeburgenſem Archiepiſcopos, quod contra ius & debitum Officij ſui Fratres in ſuis Epiſcopatibus permanentes Capitulo Generali interreſſe prohiberent; atque in aliquam culpæ commiſſæ ſatisfactionem, illi-ſipſis mandatum ſpeciale imponit, *vt à tam ſancto conuentu ſe volentes abſentare, ire ipſi districtè cogant.* Idem fere videre eſt in Bullis Celeſtini II. & Lucij II. ab Inquiſitore initio huiuſce capitis relatis.

Ex his porrò antecedentibus multa, ſed Launoico ratiocinio, colligit Inquiſitor. Primum eſt, *Ordinem Præmonſtratenſem ad illud vſque tempus ab Epiſcopali ſubiectione liberum & immunem non fuiſſe : nam*, ait, *pluribus in locis impediebant Epiſcopi ne diœceſeon ſuarum Abbates ad Generale Capitulum proficiſcerentur, Abbates Epiſcopis parebant, ad Generale Capitulum non proficiſcebantur.* Verùm quis ratiocinium iſtud æquo animo ferat? *Impediebant Epiſcopi*,

Digitized by Google

ſeu ex compacto cum iis, qui male ſibi conſcij, ſibi à Capituli Generalis authoritate metuebant; ſeu timore iniecto violentiâ-ve apertâ, *ne Abbates ad Generale Capitulum proficiſcerentur*: Diſtrictè à ſummis Pontificibus præcipiendo mandatur Epiſcopis, *ne Abbates impediant*: non obſtante Epiſcoporum impedimento & prohibitione, à Generali Capitulo *abſentes per Abbatem Præmonſtratenſem excommunicationis ſententiâ percelluntur*: præcipitur Epiſcopis vt ſententiam, quam Abbas tulerit, *ipſi ſeruent, & vſque ad dignam ſatisfactionem inuiolabiliter faciant obſeruari*: imò & in aliquam iuris violati reparationem *eos, qui ſe*, ſuæ prohibitionis prætextu, *à tam ſancto conuentu abſentare voluerint, diſtrictè ire cogant*: Ergo *Præmonſtratenſis Ordo ad illud vſque tempus ab Epiſcopali ſubiectione liber & immunis non erat.* Quaſi verò Turcis ac Barbaris, qui vi manifeſtâ captiuos Chriſtianos à ſacris myſteriis arcent, ius aliquod ex eiuſmodi violentia ineſſe concluderetur.

Secundum eſt, *Romanis Pontificibus non probari rationem, cur obſtent Epiſcopi, ne Præmonſtratenſes ſeſe ad Generale Capitulum conferant, & quamvis non probetur, hos tamen*

ab illorum poteſtate non eximere. Eximium verò obtuſi cerebri acumen ! quaſi verò, qui ſub excommunicationis pœna, damnationiſque interminatione per ſupremam legitimam authoritatem prohibentur, ne Epiſcopis in aliquo pareant, hi quoad illud-ipſum ab Epiſcoporum poteſtate non eximerentur.

Tertium eſt, *Romanos Pontifices Epiſcoporum poteſtatem intactam relinquere.* Itane verò Periclem agis (vir bone) qui cum ab Archidamo egregiè fuiſſet laceſſitus atque in terram proſtratus, ſtare ſe & vincere nihilominùs aſſerebat ? ſed quæſo te (vir iterùm bone) quam poteſtatem Epiſcoporum Romani Pontifices intactam relinquerunt ? an impediendi, ſeu prohibendi ne Abbates & Præpoſiti Præmonſtratenſes ad Generale Capitulum proficiſcerentur, de quâ hîc ſolùm ſermo eſſe poteſt ? verùm ea poteſtas quomodo intacta, & integra, imò quomodo poteſtas eſt, quæ ad actum reduci omninò non poteſt ? quomodo relatiuum (liceat hoc Philoſophicum loqui) ſine termino & correlato ſtare ? quomodo virtus prohibendi in ſuperiore, ſi in inferiore nulla virtus aut facultas paren-

Digitized by Google

di relicta ſit? aut quomodo poſſet auferri moralis poteſtas in ſubditos, niſi diſtrictè præcipiendo ne ea in poſterùm ſuperior vtatur, inferioreſque omninò ſubducendo, & ad aliam ſuperiorem poteſtatem transferendo, & ſubijciendo?

Quartum eſt, *Præmonſtratenſem Abbatem & alios, qui ab illo ſtabant, de Saxonicorum quidem Abbatum contumacia, ſed de violata à Saxonicis Epiſcopis immunitate Ordinis ſui non conqueri, quod argumentum eſt euidentiſſimum, tunc Præmonſtratenſes Clericos Epiſcoporum iuriſdictioni ſubiectos fuiſſe.* Sanè argumentum iſtud negatiuum, & *à falſo* euidentiſſimè *ſuppoſito*, nec in baiulo ferendum eſſet: *Præmonſtratenſis Abbas & alij de violata à Saxonicis Epiſcopis immunitate Ordinis ſui non conqueruntur*: Quia violata à Saxonicis Epiſcopis immunitas Ordinis non fuerat, nec Epiſcopi Saxoniæ noſtros prohibuerant, ne ad Generale Capitulum procederent; nec Abbates & Præpoſiti Saxoniæ abſentes à Capitulo, ſe prohibitos ab Epiſcopis cauſabantur, aut prætexebant: ſed ſe priuilegium exemptionis à Sede Apoſtolicâ impetraſſe mentiebantur. Sed, quæſo, verbo liceat ad hominem argumentari:

Digitized by Google

non conquereris (ô Inquiſitor quærens & non inueniens) de combuſto in campo *Flore* per manus publici tortoris hoc tuo in ſummos Pontifices famoſo libello : quod argumentum eſt euidentiſſimum , libellum eiuſmodi à ſui origine flammis horrendis dignum ac deuotum eſſe.

Perge verò quo pede cœpiſti (Inquiſitor) atque imperitis ratiociniis riſum, imò indignationem iuſtam mouere ne deſine. *Si ſemel in anno* (inquis) *Generale Capitulum non haberetur , qui peccauiſſent ex Ordine Præmonſtratenſi impunitatem conſequerentur, niſi Epiſcopi flagitioſos Abbates & Canonicos poſſent emendare.* Ita-ne (ô homo præ affectu prauo cœcutiens) non vidiſti ea quæ continentur in Bullis Lucij III. Vrbani III. Clementis III. Innocentij III. Honorij III. Greg. IX. toties à te laudatis: vbi annuę viſitationes, etiam Monaſterij Abbatiſque Præmonſtratenſis à tribus Primis Abbatibus faciendæ ſeriò præcipiuntur : vbi deficiente Capitulo Generali tot malefactorum Vindices, tot leuium etiam culparum Correctores inſtituuntur, vt, ſi quis localis ſuperioris correctionem euaſerit , Patris Abbatis cor-

Digitized by Google

rectionem non euadat : ſi vtriuſque animaduerſionem fugerit , in Vicariorum ac Viſitatorum manus incidat : ſi horum etiam punitioni ſe quoquo modo ſubſtraxerit , ab Abbate Præmonſtratenſi competenti ſeueritate coerceatur. Ita praxis ab Ordine inſtituto : Ita etiam Innocentius IV. Bib. Præm. pag. 670. & 671.

Certè ſi tibi (ô homo minimè Synodalis) deficiente Synodo tot adeſſent correctores , nec tam ſtulta , ſcandaloſa , & iniurioſa , nec tam frequenter in publicum euomere contingeret. Si regulam ſancti Auguſtini , quam Præmonſtratenſes profitentur Canonici , quæque toties in Bullis citatis obſeruanda proponitur, attentè ipſe legiſſes ; amplam in ea ſegetem mediorum ad leuiores quotidianoſque defectus corrigendos haud dubiè reperiſſes. Verùm id fuit imprudentiæ tuæ propalatio , ac Diuinæ Prouidentiæ arcanum , vt hominis rerum regularium, vtpotè ſuprà ſe poſitarum impudentiſſimè ignari panderetur infirmitas , ingenijque ſeu ſenio , ſeu malitiâ decurtati & exæſi inſolentia monſtraretur.

Atque hæc Inquiſitoris ignorantia eò illum adducit , vt quaſi vertigine actus,

Digitized by Google

ac totus titubans, nunc ridicula & pugnantia loquatur: nunc ea ſupponat in Bullis, quæ nec ſummi Pontifices vſquam cogitarunt, nec contextus ipſe patitur: nunc magnâ turbati animi contentione vanè inueſtiget, quænam mala euenirent *ſi cœlum rueret*, ſi Generale Capitulum non celebraretur: nunc denique tanquam ex inuerſo tripode, deque retruſioribus iuris vtriuſque fontibus erumpens, in gratiam inſtaurandæ dignitatis Epiſcopalis nouum commentum, quid nimirùm Epiſcopi in Abbates poſſint, 1. *Iure Communi? cui (* riſum, quæſo, teneatis amici. *) Priuilegia, (* inquit, pag. 62. *) Priuatæ ſcilicet leges, cedunt: deinde Romani Pontificis (* oppoſitum videlicet ſtatuentis *) authoritate?* egregiè ediſſerat.

Atque hæc quidem ſi ſint euerſæ mentis indicia certiſſima: non multò ſaniora ſunt quæ ait pag. 60. *Abbates eunt ad Capitulum, non tam vt exemplum præbeant obedientiæ, quàm vt ſe ſubmittant morum emendationi:* quaſi verò ei, qui nihil haberet emendandum, à Capitulo pro libitu abeſſe liceret: aut ſanctus ille conuentus non 1. pro legibus communibus ferendis,

ac ſtatuendis iis, quæ fuerint ad honorem Dei, religioniſque Deo conſecratæ fundamentum, ſed ad quotidianas ſilentij infractiones, alioſque particularium leuiores defectus corrigendos, eſſet inſtitutus: aut denique non eſſet obedientiæ ſingularis exemplum & actus, in arduis ac difficilioribus ſeſe ſuperioris authoritati, directioni, correctioni humillimè ſubmittere. Sed hæc ignota ſunt homini vago & ſuperiorem non habenti.

Cæterùm quàm importunè Innocentij III. Epiſtolas toties obtrudat, patet vtramque inſpicienti, in qua quidem nihil minùs, quàm quod in Inquiſitoris phantaſmate deſuper fabricato, elucet.

Digitized by Google

CAPVT VII. AD VI. CAP. INQVISITIONIS RESPONDENS.

Ignorantiæ iterùm manifeſtiſſimè conuincitur Inquiſitor.

QVEM in errorem prolapſus eſt cap. præcedenti, in eundem hîc relabitur Inquiſitor, vim propoſitionum non capiens, & ad motiuum, ac intentum ſummorum Pontificum non aduertens, aut certè diſſimulans. Quemadmodum enim cap. præcedenti ex repetito multoties à ſummis Pontificibus præcepto negatiuo, *ne Archiepiſcopi vel Epiſcopi ad Capitulum Abbates ire prohiberent*, præpoſterè collegit ab Epiſcopis Abbates potuiſſe iure prohiberi: Ita impreſentiarum ex negatiuo præcepto, vnicâ ſimplici propoſitione, eodem tenore, ſine exceptione, concepto, *ne quis Archiepiſcopus vel Epiſcopus, aut eorum Officiales Præmonſtratenſium Eccleſias, aut perſonas abſque manifeſta & rationabili cauſa interdicere ſeu ſuſpendere præ-*

Digitized by Google

ſumant, falsò colligit, dari poſſe manifeſtam & rationabilem cauſam, propter quam hæc poſſint ab Archiepiſcopo vel Epiſcopo fieri. Aduertendum enim eſt in propoſitione, vtrum termini modo exceptiuo concipiantur, vti fieret his verbis, *niſi adſit manifeſta & rationabilis cauſa. Exceptâ manifeſtâ & rationabili causâ.* An verò continenti ſerie, rectâ per ſe cum verbo immediatè copulentur atque conſtruantur, vti in hac, *inhibemus ne quis Archiepiſcopus abſque manifeſta cauſa interdicere præſumat.* Prior quippe modus, vtpote exceptiuus, propoſitionem diſtrahit, oſtenditque dari poſſe caſum, in quo exceptio locum habeat: poſterior verò propoſitionem vnit & abſolutè confirmat. Idipſum videre eſt euidentiùs in diuerſis terminis, quibus vtuntur ſupremi Iudices in ſuis Senatuſ-conſultis, *prohibemus ne Titius in poſterùm ſine iure id faciat.* Et, *prohibemus ne Titius in poſterùm id faciat, niſi iure:* Ex prioribus enim terminis nemo eſt qui non intelligat, Titium nullum omnino ius habere ad id faciendum: ex poſterioribus autem, dari poſſe caſum, in quo Titius iure id faceret.

Nullam igitur ex mente ſummorum

Pontificum

Digitized by Google

Pontificum Archiepiſcopi vel Epiſcopi habere poſſunt manifeſtam rationabilemque cauſam ſuſpendendi perſonas, aut interdicendi Eccleſias Præmonſtratenſium, vtpote manifeſtiſſimè ab eorum iuriſdictione liberorum. Quod & apertiùs indicant verba quæ ſequuntur immediatè in contextu: *Sed ſi quid in eis fuerit corrigendum, ad audientiam Generalis Capituli Præmonſtratenſis referatur, & ibi prout iuſtitiæ & honeſtati congruerit emendetur.* Ex his enim verbis, *ſed ſi quid*, quæ generalia ſunt, connexa, relatiua, & explicatiua eorum, quæ immediate præceſſerunt, liquidò conſtat, quidquid in Præmonſtratenſibus corrigendum occurrerit, quantacumque manifeſtatione diffamatum, id totum ad Capituli Generalis audientiam referendum eſſe.

Quod etiam ante tempora Alexandri 5. agnouit Officialis Epiſcopi Clarimontis in Aruernia, anno videlicet 1375. ſuâ ſententiâ.

Rem verò totam abſoluunt iidem ſummi Pontifices verbis immediatè ſequentibus, irritantes ſententiam à quocumque Epiſcopo vel Officiali latam in Præmonſtratenſes, *porro ſi qui Epiſcopi, &c.*

G

vbi notanda ſunt verba generalia *quamcumque ſententiam* ſine exceptione complectentia.

Id autem vt tam apertè ſtatuerent ſummi Pontifices adducti ſunt Bullis primordialibus Præmonſtratenſis Ordinis ab Innocentio 2. annis 1135. *Nulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, aut alij Prælati ponant ſub interdicto Eccleſias veſtras, aut perſonas veſtras excommunicent, cum veſtri exceſſus per commune Capitulum Præmonſtratenſe poſſint & debeant emendari.* & 1138. *Simili quoque modo decernimus, vt de laboribus quos proprijs manibus ſumptibuſque colligitis, dare decimas cuiquam non cogamini. Sed nec alicui Epiſcopo liceat quàlibet occaſione in veſtra Eccleſia diuina Officia prohibere. Si verò generale interdictum in Diœceſi factum fuerit, excluſis excommunicatis & clauſis ianuis nihilominùs diuina Officia celebretis.* A Celeſtino 2. an. 1143. & Eugenio 3. an. 1147. Quæ quidem vetera priuilegia veteribus ab Inquiſitore laudatis longè anteriora, pro innata ſinceritate Inquiſitor ipſe reticuit, vtpote cauſæ ſuſceptóque operi non multùm patrocinantia, atque à priuilegiis à ſe hîc adductis obſcuritatem omnem, ſi quæ iis

ineſſet, tollentia: Notanda enim ſunt veba, *nulli Archiepiſcopi*, &c. *Sed nec alicui Epiſcopo liceat quàlibet occaſione*, *&c.* Per quæ, vtpote clariſſima, explicanda eſſent, ſi quæ obſcuritatem ambiguitatem-ve in aliis ſuccedentium Pontificum diplomatibus continerent. Quæ præterea obſcuritas, ſi quæ foret, ex ſuperabundanti tolleretur indulto Innocentij IV. in quo hæc habentur: *Nos deuotionis veſtræ precibus annuentes, quod prædictæ Præmonſtratenſis, & aliæ Eccleſiæ, ſicut olim, ſic in poſterum à præfatis Abbatibus & Viſitatoribus annuis, & aliis de Ordine ſæpe dicto & A NVLLO ALIO ſine ſpeciali mandato ſedis Apoſtolicæ, plenam faciente de præſentibus mentionem, viſitari poſſint, aut CORRIGI, vobis Authoritate Apoſtolica indulgemus.*

Atque hæ tam apertæ à Diœceſanorum ſubiectione exemptiones, cauſæ fuerunt, cur Præmonſtratenſes in libello ſupplici Lucio III. porrecto, ei expoſuerint audacter conquerendo quòd *Archiepiſcopi & Epiſcopi Eccleſias & perſonas ſuas ſine manifeſta & rationabili cauſa interdicere & ſuſpendere præſumebant*: Hæ cauſæ cur idem Lucius eadem ſupplicationis verba reſu-

mens, decretóque ſuo adaptans (quemmadmodum in iudiciis fieri aſſolet) abſolutè, deciſoriè, tanquam causâ perſpectâ atque abundè cognitâ, ſenſuerit inhibendum, *ne quis Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, Aut eorum Officiales Eccleſias noſtras ſeu regulares perſonas earum abſque manifeſta & rationabili cauſa interdicere ſeu ſuſpendere præſumerent.* Quod certè non tam abſolutè & determinatè feciſſet, ſi noſtri per hæc verba, *ſine manifeſta & rationabili cauſa*, cauſas alias peculiares ab omnimoda exemptione, quæque non auditis Archiepiſcopis & Epiſcopis, Pontifici ſat apertæ eſſe non poterant, ipſi Pontifici ſuggeſſeſſint.

Id verò totum abſoluitur Bullis Innocentij III. an. 1200. pag. 646. Bib. Præm. & Alexandri IV. an. 1256. pag. 683. eiuſdem Bib. ex priori ſiquidem conſtat, alios ab Ordine, nec ex Commiſſione ſummi Pontificis eſſe poſſe Iudices cauſarum Præmonſtratenſium, niſi mentione factâ Bullæ Innocentij eiuſdem. Ex poſteriori verò, Præmonſtratenſes coram locorum Ordinariis nullâ prorsùs ratione conueniri poſſe.

Quibus omnibus vt ſuperpondium accedit Vrbani IV. diploma: his verbis:

Nulli ergo Archiepiſcopi & Epiſcopi, aut alij Prælati ſæculares ponant ſub interdicto Eccleſias veſtras, aut perſonas veſtras excommunicent, cum veſtri exceſſus per Capitulum Præmonſtratenſe poſſint, & debeant emendari; præſertim cum Archiepiſcopi, & Epiſcopi cuiuſcumque Diœceſis, quos commodiùs petere poteritis, poſſint veſtras Eccleſias & earum attinentias conſecrare, & veſtras perſonas licitè Ordinare. Quæ quidem ratio Pontificis eſt notanda; quaſi dicat, cum nec perſonæ, nec loca veſtra vlla in parte Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aut aliis ſæcularibus Prælatis ſubiiciantur, ſed ſint ab omni eorum ſuperioritate & iuriſdictione libera; vnde eos, quos commodiùs petere poteritis, adeatis.

Mirandus autem hîc eſt Inquiſitoris animus, qui malit de Illuſtriſſimis Antiſtitibus ſiniſtra quæque credere, credendaque ſpargere; *eos nimirum authoritate ſua fuiſſe abuſos: ſine rationabili cauſa, ſpretoque juris ordine Præmonſtratenſium vel Eccleſias interdicto ſuppoſuiſſe, vel perſonas ab officio amouiſſe*, (quæ ſunt proiectæ ac proſtitutæ conſcientiæ publica indicia) quam admittere eos iuris ſaltem communis authoritate vel prætextu fultos (cui tantum Inquiſitor

ipſe tribuit) Pontificum indultis eidem communi iuri derogantibus, apertè noluiſſe obtemperare.

Quæ porro refert paginis 72. & 73. ex Epiſtola Lucii ad Nouiomenſem Epiſcopum, hæc à re longè ſunt aliena; niſi fortè Inquiſitor pro innata cupiditate librorum farciendorum, hæc exſcripſerit; aut certè vehementiori pruritu actus, ſcalpendo cruſtam excuſſerit, indeque ſanie defluente Cathedralium & inſignium Eccleſiarum Capitula vti præludendo reſpergere voluerit. Quanquam nec Illuſtriſſimorum Antiſtitum famæ ſat bene conſulit crudelis dignitatis Epiſcopalis propugnator, dum, quæ ab ipſis contra ſtatuta iuris canonici, cui omni ex parte ſubſunt, fuerunt attentata, quæque ipſi in grauamen innocentium, & in ipſius Dei iniuriam, quà temeritate, quà puſillanimitate irrationabiliter admiſerunt, in publicum protrudit. Nec enim Lucius ideo ſolùm Nouiomenſis Epiſcopi licentiam caſſat, *quòd ſit ſacris aduerſa Canonibus*, (vti cantillat Inquiſitor pag. 74. ea immediatè coniungens, inter quæ quatuor interiacent lineæ) ſed prætereà, quod *in grauamen innocentium introducta dignoſcatur, & in ipſius Dei redundet iniuriam, multumque detrimen-*

Digitized by Google

tum animabus fidelium probetur afferre. Quamuis etiam vel propter hoc ſolùm, quòd ſacris eſſet aduerſa Canonibus, licentiam eiuſmodi caſſare potuerit; vt pote temerè vſurpatam ab eo, qui velut inferior ſacris Canonibus ita ligabatur, vt ab iis authoritate propriâ ne lato poſſet vngue recedere ſine piaculo.

Authoritatis inſuper Apoſtolicæ eâdem pag. 74. tam impius breuiator, quàm ſuſcepti à Romanis Pontificibus officii interpres ridiculus, cum ait, Clericos & Monachos à Canonibus ſubiectionem ad Epiſcopos importantibus per Apoſtolicam Sedem eximi non poſſe; quoniam hæc exemptio fieri non poteſt, quin *oppoſita duo ex ſuſcepto adminiſtrationis officio Romanus Pontifex perficere queat*, puta quin ex officio poſſit prohibere ne fiant, & permittere vel præcipere vt fiant ea, quæ juri & rationi obuiant; cùm igitur, inquit, hæc *oppoſita duo ex ſuſcepto adminiſtrationis officio perficere non poſſit*, ſequitur eximere omnino non poſſe. Quo quidem implexo atque intricato ratiocinio ſatis oſtendit, ſe in ea eſſe ſententia, quòd Romanus Pontifex ab Epiſcoporum juriſdictione liberare non valeat, quin eo ipſo committat ea, quæ

juri & rationi aduerſantur: aut ſi exemerit, quin ea, quæ iuri & rationi aduerſantur, temere admiſerit.

Verùm hæc qui dicit Chriſto Domini ſpuit in faciem, Primatus Petri eſt aduerſarius, Capitis Eccleſiæ truncator, Oecumenicorum Conciliorum perfidus contemptor. *Ille qui tenet Sedem Romæ*, inquit Concilium Nicęnum 1. Can. 39. *Caput eſt & Princeps omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum, vt qui ſit Vicarius Domini noſtri ſuper cunctos populos & cunctam Eccleſiam Chriſtianam. Et quicumque contradixerit à Synodo excommunicatur.* Et *Veneramur ſecundum ſcripturas & Canonum definitionem Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum primum eſſe & maximum omnium Epiſcoporum. Nam vt cunctis ditionis ſuæ nationibus imperat Patriarcha & leges indicit; & vt à principio Petrus Chriſti Vicarius Religioni, Eccleſiis, cæteriſque ad Chriſtum rebus pertinentibus Præfectus & Rector erat; ita ille cuius Principatus Romæ eſt, Petro ſimilis, & authoritate par, Patriarcharum omnium Dominatum & Principatum obtinet.* Concil. Florentium in decreto vnionis, *Definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem &*

Romanum Pontificem in uniuerſum orbem tenere Primatum; & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi vniuerſam Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe. Et Clemens IV. in ſua Bulla 10. apud Roderic. aſſerit quòd *De Romano Pontifice proculdubiò eſſet erroneum dubitare, an in omnes abſque alicuius conſenſu, imò inuitis quibuſlibet huiuſmodi poſſet concedere facultatem.* Et, Decret. Gloſſ. in cauſam 25. quæſt. 1. *Valet ergo ſancta Romana Eccleſia ſuis priuilegiis quoſlibet munire, & extra generalia decreta quædam ſpeciali beneficio indulgere.* Gloſſa Iuonis in cauſam 25. quæſt. 1. *Sacro-ſancta Romana Eccleſia ius & authoritatem ſacris Canonibus impertitur, ſed non eis alligatur. Habet enim ius condendi Canones, vtpote quæ Caput eſt & cardo omnium Eccleſiarum, à cuius regula nemini diſſentire licet. Ita ergo Canonibus authoritatem præſtat, vt ſeipſam non ſubiiciat eis. Sed ſicut Chriſtus, qui legem dedit, ipſam legem carnaliter impleuit, &c. Poſtea verò, vt ſe Dominum legis oſtenderet, contra legis litteram*

leproſum tangendo mundauit, &c. Sic & ſummæ ſedis Pontifices Canonibus ſiue à ſe, ſiue ab aliis ſuâ authoritate conditis reuerentiam exhibent, & eis ſe humiliando ipſos cuſtodiunt, vt aliis obſeruandos exhibeant. Nonnumquam verò ſeu iubendo, ſeu definiendo, ſeu aliter agendo ſe decretorum Dominos & Conditores eſſe oſtendunt. Addit, *oportet ergo Primam ſedem, vt diximus, obſeruare ea quæ decernendo mandauit, non neceſſitate obſequendi, ſed authoritate impertiendi. Licet itaque ſibi contra generalia decreta, ſpecialia priuilegia indulgere, & ſpeciali beneficio concedere quod generali prohibetur decreto. Quamquam ſi decretorum intentionem diligenter aduertamus, nequaquam contra ſanctorum Canonum authoritatem aliquid concedere inuenietur. Sacri ſiquidem Canones ita aliquid conſtituunt, vt interpretationis authoritatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſeruent. Ipſi namque ſoli Canones valent interpretari, qui ius condendi eos habent. Vnde in nonnullis Canonibus Conciliorum, cum aliquid obſeruandum decernitur, ſtatim ſubinfertur (niſi authoritas Romanæ Eccleſiæ aliter imperauerit.) Vel (ſaluo ſemper in omnibus iure S. Romanæ Eccleſiæ.) Vel (ſaluâ tamen in omnibus Apoſtolicà authoritate, &c.) Neque enim priuilegia aliquibus concederentur, ſi præter generalem le-*

gem nulli aliquid ſpeciale indulgeretur. Concilium Trident. ſeſſ. vlt. cap. 21. *Vt in his ſalua ſemper authoritas ſedis Apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur.* Innocentius I. Epiſt. *In requirendis, &c.* Ad Epiſcopos, qui Concilio Cartaginenſi affuerunt, inter Epiſtolas S. Auguſt. 91. *A Petro ipſe Epiſcopatus, & tota authoritas huius nominis emerſit.* Cardinalis à Turre-Cremata lib. de ſum. Eccleſ. cap. 54. *Tota iuriſdictionis poteſtas aliorum Prælatorum de lege communi deriuatur à Papa.* Gerſon lib. de poteſt. Eccleſiæ Conſid. 10. *Poteſtas Eccleſiaſtica in ſua plenitudine eſt formaliter, & ſubiectiuè in ſolo Romano Pontifice.*

Hæc è millibus collegi, quibus Guillelmi à S. Amore dogma repullulans, vnde eductum eſt, eò retruderem. Qui plura hac de re volet addiſcere, legat Illuſt. Epiſcopum Bell. Ioan. Petrum Camus libro quem vernaculè conſcripſit *de Capite Eccleſiæ*, vbi totus eſt vt oſtendat, Romanæ Eccleſiæ Antiſtitem ab Epiſcoporum poteſtate non modò liberare potuiſſe, verùm etiam iuſtè prudenterque liberare debuiſſe: hancque libertatem & exemptionem, Pontificij muneris, atque Apoſtolicæ prouidentiæ partem eſſe non minimam.

Digitized by Google

Quæ porrò falſa atque abſurda duo Inquiſitor hîc repetit pag. 74. num. 3. & 4. alterum : *Peccata quæ nec interdictum Eccleſiaſticum , nec muneris ad tempus abdicationem merentur, generali reſeruari Capitulo :* alterum , *In priuilegiis noſtris non decerni, à quo emendabitur, quidquid vitij admittetur à Fratribus, ſi annis ſingulis generale Capitulum non habeatur.* Tanquam ex dictis abundantiſſimè confutata & exploſa hîc prætermitto, vt veniam ad vecors pudendumque mendacium pag. 75. num. 5. expreſſum : *Notandus eſt , inquit, Æræ Chriſtianæ annus , ſcilicet 1272. quo Gregorius X. Lucij III. Priuilegium in ſe admiſit , & quo adhuc Præmonſtratenſes Abbates & Canonici non ſicut plerique S. Benedicti Monachi ab Epiſcoporum iuriſdictione eximi poſtulant. Quin etiam enixè rogant , vt legitimum Epiſcopalis ſuper ſe iuriſdictionis vſum confirment. Oppidò confirmarunt.* Mendacium vt pateat : in memoriam reuoco id quod notauit Inquiſitor pag. 16. quatuor nimirùm priuilegia duntaxat à Gregorio X. Præmonſtratenſibus eſſe conceſſa : primum refert Innocentij IV. Diploma, quo decernitur, Abbates Præmonſtratenſis Ordinis non poſſe ab Ordinariis examinari

priuſquàm ab iiſdem munus benedictionis accipiant. Secundum confirmat omnes immunitates, & priuilegia Eccleſiæ, Abbatique Pręmonſtratenſi indulta. Tertium decernit ab Abbate Præmonſtratenſi carceri mancipari debere Criminoſos Ordinis religioſos: ab eo pariter debere abſolui. Quartum, de quo hîc Inquiſitor, ita ſe habet.

Gregorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Dilectis filiis Abbati Præmonſtratenſi, & cæteris Abbatibus & Canonicis Præmonſtratenſis Ordinis tam præſentibus quàm futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum. In eminenti Apoſtolicæ ſedis ſpecula, licet immeriti, diſponente Domino conſtituti, pro ſingulorum ſtatu ſolliciti eſſe compellimur, & ea ſincerè tenemur amplecti, quæ ad incrementum religionis pertinent, & ad virtutum ſpectant ornatum; quatenùs religioſorum quies ab omni ſit perturbatione ſecura, & à iugo mundanæ oppreſſionis ſeruetur illæſa, cùm Apoſtolica fuerit tuitione munita. Attendentes itaque quomodo religio & ordo veſter, multa refulgens gloria meritorum, & gratia redolens ſanctitatis, palmites ſuos à mari vſque ad mare extenderit, ipſum Ordinem & vniuerſas domos eiuſdem Ordinis Apoſtoli-

cæ protectionis præſidio duximus confouendas, & præſenti priuilegio muniendas. Eapropter Dilecti in Domino filij, veſtris iuſtis poſtulationibus benigniùs annuentes, ad exemplar fœlicis recordationis Alexandri, Lucij, Vrbani, Clementis, Innocentij, Honorij & Gregorij prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, vniuerſas regulares Inſtitutiones & diſpoſitiones, quas de communi conſenſu vel maioris & ſanioris partis feciſtis, ſicut inferiùs denotantur, authoritate Apoſtolica roboramus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus: videlicet, vt Ordo canonicus, quemadmodum in Præmonſtratenſi Eccleſia, ſecundùm Beati Auguſtini regulam, & diſpoſitionem recolendæ memoriæ Norberti quondam Præmonſtratenſis Ordinis Inſtitutoris & ſucceſſorum ſuorum, in candido habitu inſtitutus eſſe dignoſcitur, per omnes eiuſdem Ordinis Eccleſias, perpetuis temporibus inuiolabiliter obſeruetur, eædem penitùs obſeruantiæ, iidem quoque libri, qui ad diuinum officium pertinent, ab omnibus eiuſdem Ordinis Eccleſiis vniformiter teneantur: Et cætera, prout iacent in priuilegio Lucij III. Bib. Præm. pag. 635. Hæc igitur à ſummis Pontificibus humiliter poſtulaſſe, hæc factis *iuſtis poſtulationibus*, humilibuſque

ſupplicationibus *obtinuiſſe* , ſi eſt *enixè rogaſſe Pontifices, vt Epiſcopalis ſuper ſe iuriſdictionis vſum confirmarent*, lector diiudicet.

Cur autem eo anno, eo tempore, quo vnicus ſedit in Eccleſia Gregorius X. aſſerat Inquiſitor, à Præmonſtratenſibus rogatos eſſe Pontifices in plurali, ediſſeret, cum potuerit, eius hiſtoria, ediſſeret eius grammatica.

Quo etiam nouo grammatices arcano coniungenda conſtruendaque didicerit hæc verba in vltima linea pag. 65. à ſe relata: *Porrò ſi qui Epiſcopi, aut eorum Officiales in perſonas veſtras ſententiam aliquam contra libertatem eiſdem à prædeceſſoribus noſtris vel à nobis indultam promulgauerint*, *eandem ſententiam tanquam contra Apoſtolicæ ſedis indulta prolatam ſtatuimus irritandam.* Cum iis, quæ ex eodem Lucij III. Diplomate refert hîc pag. 76. n. 7. *Porrò nulla perſona Eccleſiaſtica pro Chriſmate aut conſecrationibus & ordinationibus, aut pro ſepultura pretium, aut pro benedicendo Abbate, & deducendo in ſedem ſuam palafridum aut aliquod aliud à vobis exigere præſumat, nullus veſtrûm etiamſi exigatur, dare præſumat, quia & exigentem & dantem nota & periculum ſimoniacæ prauitatis inuoluit.* Vbi nulla prorsùs, vt videre eſt, ſenten-

tiæ fit mentio ; & inter quæ atque alia primò notata quatuor interiacent columnæ integræ libri in folio : non vult autem conſtrui cum immediatè præcedentibus exemptionem ab Epiſcopali iuriſdictione ſignificantibus, atque Capituli generalis authoritatem in omnes ſtabilientibus, ad quæ profectò cuilibet latinè legenti tota relatiua videbuntur : quò, inquam, & quàm abſurdo grammatices arcano id moliatur, mirabuntur quotquot integrum Lucij III. Priuilegium legent ; nec à riſu temperabunt, videntes quas in anguſtias & ridicula cogatur apertæ veritatis impugnator.

CAP. VIII.

Digitized by Google

CAP. VIII. AD VII. CAP.

INQVISITIONIS RESP.

Inquiſitoris mens parum ſincera, atque à propoſito deuians oſtenditur.

SACRAMENTA quædam ſunt, quæ nonniſi ab Epiſcopo poſſunt conferri, cuiuſmodi ſunt Confirmationis & Ordinis; quędam verò quæ & à ſimplici Sacerdote, vti reliqua quinque.

Conſtat ex veteribus Præmonſtratenſium priuilegiis ab Inquiſitore iam multoties, atque etiamnùm hoc in capite laudatis, ea Sacramenta, quorum Sacerdos ſimplex miniſter eſt, Præmonſtratenſes non modò ſibimetipſis, verùm etiam familiæ ſuæ Apoſtolicâ authoritate miniſtraſſe. Ita priuilegium Alexandri III. an. 1172. *Vobis Authoritate Apoſtolica indulgemus, vt ſeruientibus veſtris, qui de menſa veſtra viuunt, vobis abſque vlla contradictione pœnitentiam dare, & Corpus dominicum in ſtatutis temporibus tradere liceat.* Ita Lucij

III. In quo facultas conceditur ſuſcipiendi eos qui ſunt familiæ (imò & infirmos abſolutos, qui non eſſent ex familia, quique in extrema voluntate apud nos ſe transferri curarent) ad Confeſſionem, Communionem, & ſepulturam; proinde & ad Extremam Vnctionem. Ita Vrbani 3. & ſuccedentium Pontificum, qui facultatem eandem conceſſere vel confirmauere. Reliqua duo Sacramenta, puta Baptiſma & Matrimonium, nec à diœceſano Epiſcopo, nec à quoquam alio Religioſi Præmonſtratenſes ſuſcipere poſſunt, vt notum eſt; priùs enim baptiſati, quàm Religioſi: Religioſi autem virgines caſtæ Chriſto præparantur.

Quod ſpectat ad ea, quorum ſolus Epiſcopus miniſter eſt: hæc non ſolùm à diœceſanis Epiſcopis, verùm & à quibuſlibet aliis apud ſe hoſpitantibus ſuſcipere potuerunt. Quemadmodum conſtat ex priuilegio Lucii 3. hîc ab Inquiſitore pag. 79. relato, quo nobis indulgetur non ſolùm vt *propriis Epiſcopis pro iuſto impedimento non valentibus, ſed etiam ipſis malitioſè differentibus*, & inuitis, *à quocumque Epiſcopo apud nos hoſpitante ſacros Ordines, cæteraque Eccleſiaſtica myſteria recipere valeamus*. Ex priuilegio Vr-

bani 3. quod quidem aliud eſt ab eo, quod hîc pag. 80. laudat Inquiſitor, quodque amplius eſt & expreſſius, atque ideo forraſſis ab ipſo prætermiſſum, & ſic habet: *Præterea quia tollenda eſt à Religioſis diſcurrendi neceſſitas, & conuenit eis quæ ad ſalutem pertinent ſine difficultate conferri: hoc etiam de Apoſtolica benignitate duximus indulgendum, vt ſi Epiſcopis veſtris aut non volentibus, aut volentibus Ordines celebrare, aliquem vos Epiſcopum hoſpitem habere contigerit, de cuius officio & poteſtate ſit vobis plena notitia, liberum ſit vobis ab eo & Ordines, & eccleſiaſtica recipere Sacramenta, dum tamen talis ſit, de quo proprius Epiſcopus nullam ſibi debeat præiudicium formidare.* Vbi notandum eſt ſummi Pontificis motiuum: *quia* videlicet *tollenda eſt à Religioſis diſcurrendi neceſſitas, & conuenit eis, quæ ad ſalutem pertinent ſine difficultate conferri.* Notanda ſimiliter verba: *Epiſcopis veſtris aut non volentibus, aut volentibus* &c. Notanda denique illa: *Et eccleſiaſtica recipere Sacramenta.* Per quæ oſtenditur liberum eſſe Præmonſtratenſibus à quouis Epiſcopo apud eos hoſpitante non modò ſacros Ordines, ſed & alia Sacramenta, cæteraque Eccleſiaſtica myſteria recipere: vno verbo, quæcumque à diœceſanis Epiſcopis,

Digitized by Google

hæc ab hoſpite Epiſcopo poſſe ſuſcipere; Poſtremis autem textûs allati verbis noſtri duntaxat monentur, eam in ſuſcipiendis ab hoſpitante Epiſcopo ſacramentis adhibendam eſſe cautionem, vt eius miniſterio non vtantur, qui ratione propinquitatis territorij, vel alterius prætenſi iuris, hâc poſſet occaſione iura ſua in alienam Diœceſim extendere, ſicque proprio noſtrorum Epiſcopo præiudicium inferre. Ex priuilegio Clementis III. & ſuccedentium Pontificum, qui Lucij III. & Vrbani III. priuilegia confirmarunt, & in ſe admiſerunt. Ac demùm ex priuilegio Honorij III. qui facultatem hanc abſolutè & nullâ prorſus factâ Diœceſani Epiſcopi mentione noſtris conceſſit an. 1220. his verbis.

Honorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Dilectis filijs Abbatibus Præmonſtratenſis Ordinis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Veſtris, & Ordinis veſtri Eccleſiarum commoditatibus prouidentes, authoritate vobis præſentium indulgemus, vt ſi quem Epiſcopum communionem & gratiam Sedis Apoſtolicæ habentem, & de quo plenam notitiam habeatis, per vos tranſire contigerit, cùm non ſemper propriorum Epiſcoporum copiam habeatis, liceat

Digitized by Google

vobis ab eo recipere benedictionem vaſorum & veſtium, conſecrationes altarium, ac Ordinationes Canonicorum, qui ad ſacros ordines fuerint promouendi. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, &c. Si quis autem, &c. DATVM apud Vrbem veterem tertio Idus Iulij. Pontificatus noſtri Anno quarto.

Eandem facultatem ſine vllo ad Diœceſanum reſpectu noſtris conceſſit Vrbanus IV. an. 1262. His verbis. *Nulli ergo Archiepiſcopi, & Epiſcopi, aut alij Prælati ſæculares ponant ſub Interdicto Eccleſias veſtras, aut perſonas veſtras excommunicent, cùm veſtri exceſſus per Capitulum Præmonſtratenſe poſſint & debeant emendari: præſertim cum Archiepiſcopi & Epiſcopi cuiuſcumque Diœceſis, quos commodius petere poteritis, poſſint veſtras Eccleſias & earum attinentias conſecrare, & veſtras perſonas licitè ordinare.*

Imò conſtat ex priuilegiis Alexan. III. Lucij III. Vrb. III. Innocentij III. & Horij III. hîc ab Inquiſitore relatis, Abbatem Electum, ſi conſecrationem à proprio Epiſcopo non potuiſſet obtinere, vice, officio, & loco Abbatis plenariè ſecundùm Ordinem tam in exterioribus prouidendis, quàm in interioribus corri-

Digitized by Google

gendis fungi potuiſſe: *quo Diſciplinæ genere*, ait Inquiſitor hîc pag. 82. *Romanæ Cathedræ Principatus elucet:* quæ eſt egregia vi & energiâ veritatis de veritatis impugnatore erumpens confeſſio, ad quam quidem ſi dùm protulit Inquiſitor, attendiſſet, dictis huc vſque ſpongiâ ſuperinductâ, à ſimilibus æternùm abſtinuiſſet.

Cum autem ex benedictionis ſeu conſecrationis munere ius ſibi examinandorum Abbatum Epiſcopi Diœceſani vellent arrogare, exiſtimantes *officij plenitudinem*, quam in Bullis Pontificiis accipere dicebantur à Diœceſanis in conſecratione Abbates noſtri, vſque ad examen eiuſmodi extendi poſſe; id prohibuere Pontifices maximi Innocentius IV. an. 1247. Gregorius X. an. 1272. & alij declarantes *plenitudinem officij*, quæ à Diœceſano Epiſcopo recipi dicitur, in iis duntaxat *contineri, quod Electus in Abbatem poſt præſtitam ſibi iuxta tenorem priuilegij à fratribus obedientiam, Diæceſano præſentetur, ab ipſo ſine examinatione Monaſterij curam, & benedictionis gratiam liberè percepturus.*

Innocentius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Dilectis filiis Abbati Præmonſtratenſi eiuſdémque Coabbatibus & Conuentibus vniuerſis

Digitized by Google

Præmonſtratenſis Ordinis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Virtute conſpicuos ſacri veſtri Ordinis profeſſores, qui contemplationi cœleſtium feruenter inuigilant, & piæ vitæ ſtudio ſine intermiſſione deſudant, decet per Apoſtolicæ circumſpectionis auxilium ſic prouidè dirigi, & ſollicitè confoueri, vt alicuius prætextu calumniæ, nullum internæ pacis excidium, nullum religioſi ſtatus perferant detrimentum; ſed in his robur & vigorem habeant, per quæ circa cultum diuini nominis deuotis & quietis mentibus inualeſcant. Sanè in priuilegio Sedis Apoſtolicæ, Ordini veſtro conceſſo, perſpeximus contineri, Quod cùm aliqua Eccleſiarum veſtrarum Abbate proprio fuerit deſtituta, vel cùm ibi Abbatis electio regulariter non fuerit celebrata, ſub Patris-Abbatis poteſtate ac diſpoſitione conſiſtat, & cum eiuſdem conſilio qui eligendus fuerit à Canonicis, eligatur. Electo autem Fratres Eccleſiæ ſtatim Obedientiam promittant: qui non quaſi abſolutus à poteſtate Patris-Abbatis vel Ordinis ſui, Archiepiſcopo vel Epiſcopo, in cuius Diœceſi fuerit, præſentetur, plenitudinem ab eo officij percepturus. Ita tamen quod poſt factam Archiepiſcopo vel Epiſcopo ſuo profeſſionem, occaſione illa non tranſgrediatur Conſtitutiones Ordinis ſui, nec in aliquo eius præuaricator exiſtat. Si quis etiam ex vobis

electus canonicè in Abbatem Diœceſano Epiſcopo ſemel & iterum per Abbates veſtri Ordinis præſentatus, benedictionem ab eo non potuerit obtinere, ne Eccleſia ad quam vocatus eſt, deſtituta conſilio periclitetur, officio & loco Abbatis plenariè ſecundum ordinem fungatur in ea, tam in exterioribus prouidendis, quàm in interioribus corrigendis, donec aut interuentu generalis Capituli veſtri, aut ex præcepto Romani Pontificis, ſeu Metropolitani, benedictionem ſuam obtineat. Cùm autem ſuper his verbis & intellectu ipſorum, ſicut tu, fili Abbas, coram nobis & Fratribus noſtris humiliter retuliſti, à quibuſdam ex vobis mens dubia & corfluctuans haberetur, duxiſtis ſuper hoc ad Sedis Apoſtolicæ prouidentiam recurrendum, ſuppliciter poſtulantes, vt ipſa in hac parte pro quiete conſcientiarum veſtrarum & tranquillitate Ordinis, prouidere vobis per declarationis remedium dignaretur. Nos itaque ſuper hoc dictorum Fratrum noſtrorum communicato conſilio, ſic duximus declarandum, ſcilicet; Quod Electus in Abbatem, poſt præſtitam ſibi iuxta tenorem ipſius priuilegij à Fratribus obedientiam, Diœceſano per ſupradictos præſentetur Abbates, ab ipſo ſine examinatione, Monaſterij curam & benedictionis gratiam liberè percepturus, In quibus officij plenitudinem intelligimus contineri, præ-

ſertim cùm de intentione prædeceſſorum noſtrorum, qui Ordini veſtro prædictum priuilegium conceſſerunt, non videatur fuiſſe quod examinari à Diœceſano præſentatus ſibi deberet Electus, prout ex eo patet; Quòd ſi poſt factam examinationem, benedictionem negari contingeret, ſupervacuum videretur obedientiam Electo à Fratribus præſtitam extitiſſe, ac indecenter ſibi conceſſum, quod benedictione negata pleno fungeretur Abbatis loco & officio, cùm per hoc Iudex & Actor in cauſa ſua fieri videretur, ſed ſi iuſtè vel iniuſtè Diœceſanus benedictionem huiuſmodi denegaret, eſſet aliquibus huiuſmodi cauſæ diſcuſſio committenda. Per hanc autem declarationem, nullum vobis & Ordini veſtro ius de nouo acquiri volumus, nec alicui præiudicium generari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, &c. DATVM Lugduni ſexto Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno quarto.

Inquiſitoriam verò quis hîc pag. 83. non miretur temeritatem, vbi Præmonſt. Abbatibus affingit edi ſolitam conſimilem Ciſtertienſium profeſſioni profeſſionem, cuius ne veſtigium vmbram-ve proferre poteſt: aſſeritque ſubiectionis ad

Epiſcopos teſtimonium ampliſſimum contineri in Diplomate, quod fatetur ſe non vidiſſe, imò neſcire prorſus. Certè leuis admodùm armaturæ miles eſt, cui pro thorace iudicium ſimile.

Hìc porro vt in loco ſuo, ait Inquiſitor pag. 84. *edenda fuit in publicum Vrbani IV. ſuper hac profeſſione Conſtitutio*, quâ decernitur, *vt perſonæ quæ in Abbates Monaſteriorum Præmonſtratenſis Ordinis Ciuitatis & Diœceſis Laudunenſis eligentur, Decano & Capitulo Laudunenſis Eccleſiæ ſubiectionem, reuerentiam, & obedientiam promittant.* Ita nimirum, cum de ſubiectione ad Epiſcopum agit, Diploma profert, (Cuius fides ſit penes ipſum, neque enim in cauſa iuridicè productum eſt) quo præcipitur, vt Decano & Capitulo ſubiectionem Abbates ſpondeant. Ita, cum de Sacramentis Eccleſiæ, quæ Præmonſtratenſes à Diœceſanis Epiſcopis ſuſcipere dicuntur, ſermonem inſtituit; de reuentia tractat, quam Decano & Capitulo ſe perpetuò exhibituros iidem Abbates dicuntur polliceri; & hæc omnia, inquit, *vt in loco ſuo*: quaſi verò de ſubiectione ad Decanum & Capitulum ſequeretur ad Epiſcopum ſubiectio, quorum iura fuiſſe ſeparata mini-

Digitized by Google

méque ſubordinata vel ex ipſo Diplomate ad Decanum & Capitulum ſpecialiter ab Apoſtolica Sede directo colligeretur euidentiſſimè.

Sed eſto ſubiectionem, quam Decano & Capitulo debuiſſent, eandem Epiſcopo debuiſſent exhibere: videndum quid ſubiectionis ad Decanum & Capitulum ex allato Diplomate poſſet inferri?

I. Præmonſtratenſibus ab Innocentio IV. fuerat indultum, vt nullæ litteræ Apoſtolicæ, vel Legatorum Apoſtolicæ Sedis, quæ contra eos, vel Monaſteria, aut loca eorum fuiſſent obtentæ, aliquam obtinerent firmitatem, *niſi expreſſam de ipſa* Innocentij *indulgentia feciſſent mentionem*, vt videre eſt in Bibliot. Præm. pag. 662. Indultum ſimiliter ab Alexan. IV. *Vt per aliquas Conſtitutiones ab ipſo editas libertatibus & immunitatibus ipſis ab Apoſtolica Sede conceſſis, nullum in poſterùm præiudicium generaretur: nec per Conſtitutiones ipſas eiſdem libertatibus & immunitaibus in aliquo derogari valeret.* Indultum ab eodem Alexandro *vt ſi ab Apoſtolica Sede aliquas litteras Apoſtolicas ad cuiuſcumque ſuggeſtionem contra ipſos contigiſſet obtineri ſuper priuilegiis ipſis ab Apoſtolica Sede conceſſis, vel eorum interpretatione, quæ ad*

eandem Sedem pertinere dignoſcitur, per eas diſceptare minimè tenerentur. Cum igitur in Vrbani IV. ab Inquiſitore allata Conſtitutione nulla eiuſmodi Indulgentiarum fiat mentio, nulla derogationis, nulla diſceptationis coram ſummo Pontifice ſuper iiſdem factæ, nullam prorsùs iſta Conſtitutio potuit obtinere firmitatem: quemadmodum certè nullam obtinuit: quod quidem vel ex eo conſtat, quod ab anno 1262. quo relaxatum fingitur Diploma iſtud, vſque ad annum 1484 Nullum omnino extet eiuſmodi profeſſionis indicium veſtigiumve. Quanquam licet aliquod extaret, vimque aliquam Diploma iſtud habuiſſet, hæc tota Alexandri V. Indultis ampliſſimis ablata fuiſſet & extincta.

II. Hæc profeſſio Præmonſtratenſes Decani & Capituli poteſtati vel ſubiiciebat in aliquo, vel in nullo penitus: ſi in nullo penitus, vana fuit & ridicula: ſi in aliquo, id aſſignet Inquiſitor, excuſſoque iterùm diligentiſſimè Laudunenſis Eccleſiæ tablino vel apicem producat, vnde conſtare poſſit à tempore conceſſi Diplomatis ad nos vſque, à Decano & Capitulo ſeu per ſe, ſeu per deputatos,

ſeu viſitando, ſeu alio quocumque modo exercitam in Sammartinenſes iuriſdictionis vmbram. Cum igitur fruſtra ſit, imò nulla prorſus ea facultas & potentia, quæ ad actum nunquam reducitur; ſi Decani & Capituli in Præmonſt. authoritas nuſquam egit, nonne fruſtra, imò nulla fuit?

Et verò ſi quidpiam in Sammartinenſes ficta illa authoritas potuiſſet, hoc ipſo Sammartinenſes à Præmonſtratenſi Ordine diſtraxiſſet atque tranſtuliſſet, in quo nimirum hoc eſſentiale eſt, & à ſummis Pontificibus ab initio inſtitutum, *vt ad tenorem Præmonſtrati loci omnes viuant; eaſdem conſuetudines & conſtitutiones vbiq; locorum ſeruent; Abbati Præmonſt. Capitulo generali, Patribus Abbatibus, Vicariis, & Viſitatoribus ſubdantur in omnibus*: prohibitum diſtrictiſſimè, *ne quid fiat in aliquo Monaſterio, etiam prætextu conceſſionis Apoſtolicæ, quod non fiat in omnibus aliis*, vt in Ordine tantopere commendata obſeruetur vniformitas. Inaudita ergo cum ſit ac penitus ignota vbique locorum in Ordine Præmonſtratenſi hæc ad Decanum & Capitulum ſubiectio, Sammartinenſes contra expreſſas ſummorum Pontificum prohibitiones Decano & Capitulo Laudunenſi ſubiectos

eo-ipſo ab Ordine diſtraxiſſet.

III. Hæc verba, *Ordine ſuo ſaluo*, quæ continentur in allato Diplomate, rem prorſus abſoluunt: vnde Decanus & Canonici videntes, *Ordine ſaluo*, nihil omninò remanere poſſe ſubiectionis ad ſe, profeſſionem illam exigere planè neglexerunt: quemadmodum videre eſt euidentius in iis regularibus Monaſterij S. Martini Abbatibus, qui noſtris temporibus viciniores extitere, puta in Amato de fonte, Ioanne Viſcontino, Nicolao Baſin, & Nicolao le Saige, qui poſtremus obiit anno 1645. a quibus, vt ederetur eiuſmodi profeſſio, Decanus & Capitulum ne petiere, imò ne cogitauere quidem.

Sed obiicit Inquiſitor obſeruatione 11. pag. 321. & ſeq. *in tablino Laudunenſis Eccleſiæ repertas eſſe ſchedulas numero tres editæ profeſſionis à tribus Sammartinenſibus Abbatibus mentionem facientes.* Verùm conſtantiſſimè nego repertas eſſe ſchedulas eiuſmodi, donec proceſſum verbalem edat Inquiſitor, vnde conſtet nobis præſentibus, vt aſſerit, excuſſum eſſe tablinum, in eoque reperta eſſe quæ profert ſana, integra, omni vitio ac ſuſpicione carentia; donec in eodem verbali proceſſu videam reper-

Digitized by Google

tum ſimiliter Parlamenti Pariſienſis Senatuſ-conſultum, quo decretum eſt, *vt omnes Ciuitatis & diæceſis Laudunenſis Abbates & Abbatiſſæ hanc ſpondeant reuerentiam, exceptis priuilegiatis*: quod quidem Senatuſconſultum poſterius eſt ſchedulis ipſis, atque in fauorem Decani & Capituli Laudunenſis Eccleſiæ aduerſùs Abbatem minimè exemptum.

Quanquam quid iis immoror? In tablino Laudunenſis Eccleſiæ repertæ ſint eiuſmodi ſchedulæ numero tres ſpatio quadringentorum annorum, nec illæ ſuſpectæ ſint, aut vitio vllo laborent: imò ex ipſis deleantur hæc verba, *Ordine meo ſaluo*, quæ litem dirimunt, cùm nihil prorſus aſſignari queat, quod, *Ordine ſuo ſaluo*, Sammartinenſes Abbates Decano & Capitulo poſſint exhibere: adhuc contendo, nihil inde præiudicii in integrum Ordinem; nihil in Sammartinenſes Abbates redundare poſſe: ſiquidem libertas & exemptio jus eſt Abbati Præmonſtratenſi, tanquam Ordinis Capiti, jus eſt Canonicæ Religioni, integro Ordini hiſce legibus ſtabilito ac ſubſiſtenti conceſſum, cui particulares Abbates arbitrio ſuo, ignorantiâ, malitiâ ſuâ derogare non poſſunt; nimirum dum Ab-

batis vnius inſcitiâ, aut puſillanimitate dignitas perſonalis abiicitur, ſtat obnixa contra ſancta Religio; atque in potioribus membris etiam ſic cadenti jura ſarta-tecta ſeruantur. Et in hoc elucet diſcrimen inter jura particularium, & jura Communitatum atque Ordinum; quòd hæc poſteriora non ſubjiciantur ſingularium diſpoſitioni vel arbitrio, nec ex vnius aut alterius culpa, jure cadat tota Communitas. Cùm igitur contra ſteterit in exemptione pleniſſima totus Ordo vbique terrarum diffuſus; nec ſchedulas vnquam conceſſerint Præmonſtratenſes, Cuiſſiacenſes, Claro-fontani, Tenolienſes Abbates; imò nec Sammartinenſes ab Ordine inſtituto vſque ad annum 1484. quo data dicitur prima ſchedula; hi omnes non tantùm ſibi, ſed & fratribus ſuis Sammartinenſibus Abbatibus ſic cadentibus, ſtetere: nimirum (liceat propoſito aptare, verbis paululum immutatis, quod de Senonenſi Archiepiſcopo ſcripſit Ludouicus VI. Francorum Rex Epiſtola ad Calliſtum II. ſummum Pontificem) *dignitas* exemptionis *eſt Eccleſiæ*, Ordinis, Religionis, *non perſonæ* eximi nolentis: *ſi* Sammartinenſis Abbas *hic & iſte de non ſua fecit quod non oportuit*, *ſi promi-*
ſit

ſit quod non debuit; *Eccleſia tamen* Sammartinenſis *quod ſuum eſt non amiſit*, *nec priuatam communemque libertatem*, *quam ex antiquitate habuit*; *nec cogenda eſt ad ſubiectionem*, *quam nunquam exhibuit*. Et certè niſi res ita ſe haberet, ſed eſſet in poteſtate Sammartinenſis Abbatis, vt ſe Decano ſubmitteret; quidni eſſet in poteſtate Cuiſſiacenſis, vt ſe Metropolitano; Tenolienſis, vt ſe Epiſcopo, & ſic de aliis? atque in hunc modum ſacer Ordo ſanctè inſtitutus pro ſingulorum arbitrio & voluntate diſſiparetur, tot poteſtatibus diuerſis ſubditus, quot affectus aut ignorantia ſuggereret.

Sed iterum hæc ſint omnia: jura non ſua, jura Eccleſiæ ſuæ, Religionis, Ordinis hi tres Abbates ſibi nullo medio ſuccedentes potuerint abjicere; ipſis cadentibus, jura Religionis in aliis non remanſerint intacta: horum ignorantiam, puſillanimitatem, caſum, ſi lubet, ſuccedentes in Eccleſia Sammartinenſi Abbates erexerunt, Eccleſiamque ipſam priſtinæ dignitati, libertati, exemptioni reddiderunt, poſſeſſione præſcriptionem pluſquam ter Canonicam inuehente, legitimâ, fundatiſſimâ, in nullo deficiente, centum triginta quatuor annorum, qui ab vltima data ſchedula,

Digitized by Google

anno videlicet 1527. ad hunc vſque diem effluxere; qua quidem tot annorum intercapedine nulla data ſchedula, nulla editę professionis, nulla reuerentiæ præſtitæ, aut præſtandæ facta mentio.

Porro poſſeſſioni ſic legitimæ tanta vis ineſt, *vt, ſi centenaria ſit, nec ipſi quidem jurium Conditrici Romæ in temporalibus parcere nouerit*, Extra. de præſcript. C. ad audientiam. *Si verò quadragenaria, diœceſeon limites transferat*, eodem tit. C. Illud. Imò *Ius Epiſcopale præſcribat Abbati*. C. Auditis. Et C. cum perſonæ tit. de priuil. in 6. *In libertatis vel exemptionis poſſeſſione non violenta, non clandeſtina, nec conceſſa precariò, de qua fidem fecerint, non turbentur.* Et Extra de priuil. cap. Cum olim 2. *In poſſeſſione tandiu fuerat libertatis, quod, aliis etiam ceſſantibus, præſcripſiſſet.* Et tit. de præſcript. C. Cùm olim 2. *quia prædictus Abbas ſufficienter oſtendit monaſterium ſuum ſuper inſtitutionibus, deſtitutionibus legitima præſcriptione munitum, Abbatem ipſum ab impetitione tua (frater Epiſcope) ſuper iam dictis articulis duximus abſoluendum, ſuper illis tibi perpetuum ſilentium imponendo.* Idipſum confirmat Ludouici VI. Chriſtianiſſimi Regis authoritas Epiſt. cit. ad Caliſtum II. vbi ait; *Si enim opponitur quòd ve-*

terum inſtitutio Lugdunenſi Eccleſiæ primatum contulerit; reſpondetur ex oppoſito quòd antiquæ libertatis poſſeſſio Senonenſem Eccleſiam ab eius ſubjectione defendit. Quod enim antiqua poſſeſſione acquiritur, nullo, vt fertur, jure adimitur, etiamſi de jure Romanæ Eccleſiæ fuiſſe cognoſcitur.

CAPVT IX. AD VIII. INQVISITIONIS RESPONDENS.

Launoius inſtituti immemor totus in ſe pugnat.

Q*VO pacto*, ait Inquiſitor, *& quibus conditionibus immunitates dantur Præmonſtratenſibus, horum priuilegia ſic exponunt.* Attende igitur, quæſo, prudens Lector, ſubtiles, imò imperceptibiles conditiones.

Priuilegium Honorij II. inquit, *quod in lib. 3. Bibliothecæ refertur. Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis in Chriſto filiis Hugoni Abbati Præmonſtratenſi, & Coabbatibus, Præpoſitis, Prioribus, & vniuerſis Fratribus Præmonſtratenſis Ordinis, tam præ-*

Digitized by Google

ſentibus quàm futuris regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Et poſt alia : ſtatuimus etiam, vt iuxta ordinationem bonæ memoriæ Norberti Magdeburgenſis Archiepiſcopi vniuerſi Abbates & Præpoſiti veſtri Præmonſtratenſis Ordinis ad commune Capitulum annuatim Præmonſtratum veniant, ibique communi Fratrum conſilio corrigenda corrigant, & quæ ſtatuenda fuerint, ſtatuant. Et quibuſdam interpoſitis: Nulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, aut alij Prælati ponant ſub interdicto Eccleſias veſtras, aut perſonas veſtras excommunicent, cùm veſtri exceſſus per commune Capitulum Præmonſtratenſe posſint & debeant emendari. Et poſt alia : DATVM Piſis per manum Almerici ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarij, quinto Nonas Maij, Indictione XII. Incarnat. Domin. anno 1135. Pontificatus Domini Innocentij Papæ anno 5. Hæc omnia & ſingula, eodemque ordine Inquiſitor, quibus ne apicem quidem addidi, vel immutaui.

Hæc igitur qui ſcripſit, nonne ſomnians aut delirans ſcripſit? Qui, cum de Honorio, Innocentium nominat : cum de conditionatis, profert abſoluta : cum de oppoſitis immunitati, immunitatem prodit vel inuitus. Legantur, relegantur, vt Inquiſitoris genius apprimè noſcatur.

Digitized by Google

Cæterùm *quod ſuperiori capite in obſeruatione 4. dictum eſt*, ait hîc pag. 88. (Pontificibus nimirum, vt vidimus, copioſè imponēdo: Ordini profeſſiones, quas ipſe ſomniauit affingendo: Diplomati ſibi, vt fatetur, inuiſo atque ignoto penitus falſa & materiæ non cohærentia temerè appingendo.) *Hic rurſus infigo & inculco*: ne videlicet quid reliquiarum cerebri nobilis è legentium memoria vel ad momentum excidat. Quod & præſtat in reliquo hoc capite, iam centies inſulsè dicta ineptiſſimè repetens.

CAPVT X. AD IX. CAP. INQVISITIONIS RESPONDENS.

Inquiſitoris obſeruatio inutilis, ac vana exſcriptio.

HOc in capite multa refert Inquiſitor, quæ tempore Innocentij 3. aſſerit à noſtris lecta fuiſſe: *Legerant*, inquit pag. 93. *Præmonſtratenſes illi B. Bernardi Epiſtolam 42. ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum &c.*

Et pag. 94. *Legerant epiſtolam Petri Bleſenſis ad Guillelmum fratrem Abbatem Moniacenſem &c.* Legerant inſuper totum pſalterium, & alia multa, quæ pariter hîc Inquiſitor exſcribere potuerat. Sed hæc omnia quid ad propoſitum? quidve Laudunenſis Epiſcopi cauſam promouent? Olim Præmonſtratenſis Ordinis Abbates communi conſilio decreuerunt, vt nullus mitrâ vel chirothecis vteretur: ſucceſſu temporis id ipſum quod ſoli Abbati Præmonſtratenſi fuerat ab initio conceſſum, ad alios quoſdam ab Apoſtolica Sede prudenter ac benignè extenſum eſt: quid inde? Nonne multa longéque maioris momenti lapſu temporis, & à Cõciliis, & à ſummis Pontificibus piè prudenterque videmus immutata, quæ quidem ab initio ita non fuerant? & ne vagemur extra præſentem materiam, nonne pallii Archiepiſcopalis vſus quibuſdam Epiſcopis Apoſtolicâ indulgentiâ conceſſus eſt, quibus antea erat prohibitus? nonne Pontificalium inſigniũ ornatus Maioribus Eccleſiarum Prælatis, imò quarumdam famoſiorum Eccleſiarum Canonicis eâdem Apoſtolicâ benignitate permiſſus eſt, quibus antea erat interdictus? nonne quidam Epiſcopi, cuiuſmodi

eſt Aniſienſis & ſimiles, qui ſub Metropolitani erant poteſtate, eidem poteſtati ſubducti ſunt Indulto Apoſtolico, ſoliq; Romano Antiſtiti immediatè ſubditi? Hæc qui ignorat, *Inquirendo* fruſtra dies noctesq; laborat: hæc qui non ignorat, & tamen *Inquirit*; *Inquirendo* ſe defeciſſe prodit.

CAPVT XI. AD X. CAP. INQVISITIONIS RESPONDENS.

Confunditur Inquiſitoris multa garrulitas, ac præceps iudicium.

EN tibi (ô Launoi) ex Bullis Pontificiis hîc laudatis vnum ex mediis corrigendorum exceſſuum extra Capitulum generale, ad quod non aduertiſti; *viſitationem* nimirùm *Monaſteriorum ab Abbate Præmonſtratenſi annuè faciendam.* En tibi multam, & quidem à te collectam confuſionis meſſem. En toties à te falsò & ineptè decantatis ſigillum graue.

Sed *interim* (inquies) *Præmonſtratenſis*

Abbas nemini benedicit præſente Epiſcopo. Olim ita factum ſit, quid-tum poſtea? cum nec Epiſcopus populo ſuo benediceret in Eccleſiis noſtris.

Quod obſeruas porro pag. 100. num. 2. *Abbatum Ordinis conuentum in Præmonſtratenſi celebrari Monaſterio*, non vſque-adeò verum eſt, cum & alibi mutoties fuerit celebratus. Quod verò pag. 101. n. 3. *Laudunenſi* videlicet *Epiſcopo in Præmonſtratenſi Monaſterio benedicere de iure competere*; ſuppoſitio eſt falſiſſima, quemadmodum Iura antiqua, Poſſeſſio, & noſtrorum temporum experientia confirmant, videbiturque ſuo loco.

Digitized by Google

CAP. XII. AD XI. CAP. INQVISITIONIS RESPONDENS.

Launoius Majeſtatis ſcrutator ridiculus, Romani Pontificis contemptor & irriſor phanaticus.

QVOD priuilegij genus impugnas, ita conſtans eſt ac ratum, vt quot extiterunt à tempore Clementis V. Laudunenſes Antiſtites, tot habeat ſui teſtes omni exceptione maiores, tot Aſſertores ac vindices. Laudunenſes Antiſtites intelligo viros è millibus electos atque ſapientes, qui quidquam temerè vel inconſultò agere neſcierunt: qui, priuſquàm Abbati Præmonſtratenſi benedictionis munus impertirent, Clementis priuilegium diligenter inſpexerunt: qui benedicendo Præmonſtratenſes Abbates Pontificalibus indumentis centies adornarunt: quod etiam actum noſtris temporibus, anno videlicet 1647. ab Illuſtriſſimo Laud. Epiſcopo

Philberto de Brichanteau in Archicœnobio Præmonſtratenſi conſpeximus hiſce oculis : vt ſaperda ſit ille ridiculus, qui tam leuia mentis aduſtæ figmenta tanto veritatis inconcuſſæ ponderi, tot Illuſtriſſimorum teſtimonio, tam apertæ plurium ſæculorum poſſeſſioni preſumit obiicere, *ponens in Cœlum os ſuum*, inuerecundè *perſcrutans Majeſtatem*, ac denique tot Antiſtitum *exiſtentem in benedictione memoriam* probris proſcindens.

Sed videamus quæ rationum monſtra & abortiua homo obiiciat. I. *Clemens V.* (inquit pag. 105.) *Si fas eſt credere, Præmonſtratenſi Abbati priuilegia tria conceſſit eodem Pontificatus & anno, & die, & loco.* Sed nonne pudet id in rationem adducere? quaſi ſit adeò inſolitum & rarum, vt eidem homini, eodem die, eodem loco tria conferantur; ipſeque Inquiſitor anno proximè elapſo non accepiſſet eodem die, eodem loco, puta Pariſiis, ab eodem tria beneficia per obitum certi cuiuſdam vacantia, quæ quidem ipſe paulò poſt eodem die & loco cuidam reſignauit, penſione reſeruatâ.

II. Exordium priuilegij primi (ait pag. 106). *priuilegium ſecundum, quod antea retulimus,*

planè deſtruit, & Clementi abiudicat. Nam iuſtum & honeſtum eſt, tam vigor æquitatis, quam ordo rationis exigit (quod eſt exordium priuilegij primi, cui Inquiſitor adaptat ex ſe ſequentia) *vt Clemens Innocentij III. veſtigia inſiſtat, & Capituli generalis edictum ſanctiſſimum confirmet, tantùm abeſt vt tacitus reſcindat, ſi tamen hocce modo reſcindere potuerit, aut voluerit.* Quis indignè non ferat hanc hominis potulantiam? quis abiectum Clericum ſuſtineat ſupra Primam Sedem, *quæ quidem à nemine iudicatur*, ſe conſtituentem Iudicem, Cenſorem, Exactorem? quis tam diſtortè, quemadmodum hîc, in ſomniorum ſuorum confirmationem ſummorum Pontificum verba proferentem? quaſi nihil diſcriminis intercederet inter ea, quæ ſtatuta ſunt à Pontificibus ad fidem, morumque integritatem ſpectantia; & ea, quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam, exterioremve obſeruationum, indumentorum, Ceremoniarum, & ſimilium apparatum ſunt præſcripta: quorum priora *perpetua eſſe debent, firma, atque immutabilia*, nec in iis *vlla debet eſſe ſucceſſorem inter & deceſſorem ſententiarum varietas, dum*, vt ait Symmachus Papa, *ad Trinitatis inſtar, cui vna eſt atque indiuidua*

poteſtas, vnum eſt per diuerſos Antiſtites Sacerdotium : poſteriora verò, mutatis rationum, perſonarum, temporum circumſtantiis, prudenti authoritatis non niſi ſapienter de omnibus iudicantis arbitrio ſæpius ſunt immutanda : quod in iis potiſſimùm locum habere ſolet, quæ communes vniuerſalis Eccleſiæ obſeruationes non concernunt, ſed ad exteriorem ſingularium perſonarum conſtitutionem, diſpoſitionem & conditionem ſpectant.

Sed, heù! quàm ſit agreſtis & ruſtica neceſſe eſt, imò quàm effera quámque immanis Inquiſitoris progenies, qui de Chriſti Vicario cum tanto contemptu loquitur. *Deinde* (inquit pag. 107.) *Quis homo integræ mentis crederet, Clementem præſente Abbate Præmonſtratenſi vel eius Procuratore, ſecum eſſe duntaxat loquutum, & ſibi aurem ita pervulſiſſe, vt priuilegium concederet, quod ab eo conceſſum refertur.* En Inquiſitoriâ rabie falsò ac malignè ſupponitur quaſi inſaniens Pontifex præſente Abbate Præmonſtratenſi vel eius Procuratore, *ſecum duntaxat loquutus*, qui eodem penitus modo in impugnato priuilegio ac in aliis duobus cum Abbate Præmonſtratenſi, vel eius Procuratore loquutus eſt,

quemadmodùm cuilibet latinè intelligenti hæc priuilegij verba demonſtrant: *Conſiderantes itaque deuotionis & fidei puritatem, quam ad nos & Romanam Eccleſiam Monaſterium tuum, & degentes in eo habuiſſe & habere noſcuntur, &c. Tibi & ſucceſſoribus tuis, &c. Eccleſiis Ordini tuo pleno iure ſubiectis, &c.* Hæc autem vt pateant, videaturq; quàm priuilegium iſtud à communi priuilegiorum forma nihil alieni contineat, integrum ſubiicio. *Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Abbati Monaſterij Præmonſtratenſis Laudunenſis Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Vt pulchra & decora filia Ieruſalem fidelibus & infidelibus terribilis appareat vt caſtrorum acies ordinata. Eccleſia militans variis inſignitur titulis dignitatum, per quas tanquam ornata monilibus, & circumdata varietate venuſtatem præferat virtutum Eccleſiæ triumphantis. Quare Sedes Apoſtolica, Mater Eccleſiarum omnium & Magiſtra, Eccleſias alias tanquam adoleſcentulas ſuas honorum inſigniis libenter adornat pro meritis ſingularum, ſperans vt in ornatu tantò immaculatas ſe diligentiùs ſtudeant conſeruare, quantò propenſiùs tenentur diligere decus proprium & decorem. Conſiderantes itaque deuotionis & fidei puritatem, quam ad nos & Ro-*

Digitized by Google

manam Eccleſiam Monaſterium tuum ac degentes in eo habuiſſe & habere noſcuntur, & volentes ex hoc Monaſterium ipſum ſpiritualibus decorare inſigniis, & præuenire honoribus & fauoribus gratioſis, tibi & ſucceſſoribus tuis in perpetuum vtendi annulo continuè, & vbique, ac in diuinis officiis & competentibus locis, mitrâ, ſandaliis, aliiſque Pontificalibus inſigniis: nec non benedictionem populo in eodem Monaſterio & Eccleſiis Ordini tuo PLENO IVRE ſubiectis more Pontificum largiendi, dummodò Legatus dictæ Sedis, aut aliquis Archiepiſcopus, vel Epiſcopus præſens in benedictione huiuſmodi non exiſtat, plenam & liberam, motu proprio, non ad tuam, vel alterius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra mera liberalitate concedimus authoritate præſentium facultatem. Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem, &c. Datum in Prioratu de Granſello prope Malauſanam Vaſionenſis Diœceſis quarto Kalendas Iulij, Pontificatus noſtri anno octauo.

At *in priuilegio* (inquit eâdem pag. n. 3.) *nimia eſt cautio, quæ dolus malus præſumi conſueuit. Cauetur magnopere, ne quid fiat Præmonſtratenſis Abbatis vel* Monaſterij *rogatu.* Verùm, quid Abbati, vel Monaſterio Præmonſtratenſi metuendum fuiſſet, ſi hanc

gratiam ab Apoſtolica Sede factis humilibus poſtulationibus, apertiſque rationum momentis ſuadentibus, imò perſuadentibus obtinuiſſent? Reſponſio Inquiſitoris in promptu eſt, ſed infirma, languida, & è duobus, quod bonum ac ſincerum, ne quidem tangens, quod verò deterius hoc duntaxat amplectens: *aut enim* (inquit loco citato) *expoſuiſſent Clementi, quæ veritati non congruiſſent, atque ita deceptus Pontifex id feciſſet, quod eum feciſſe volunt: aut omiſiſſent multa, quæ ſi nouiſſet Pontifex, priuilegium nullum dediſſet.* Quaſi non potuiſſent ea, quæ veritati congruiſſent, exponere; & eorum, quæ Pontifici exponenda fuiſſent, nulla omittere. Vt autem veniam ad id quod factum eſt: quid abſurdi accidit aut extraordinarij, cum quis ei, qui à ſe duo humiliter poſtulat, ex abundanti affectu, gratiave profuſiori dicit, *addo & tertium iſtud quod non poſtulaſti?* Quidve reprehenſione dignum, cum Inquiſitori quotidianum ab humaniſſimo Præſule poſcenti, dapes exquiſitiores adduntur, quas Inquiſitor ſobrietatis amantiſſimus nuſquam poſtulauit? ſi autem, (quò Præſul humaniſſimus Inquiſitorem ad comedendũ efficaciùs inuitaret) comi-

tate ſibi congenitâ adderet, non ad ipſius aut cuiuſquam familiarium poſtulationem, ſed ex mero affectu curaſſe ſe parari ea, quibus Inquiſitor libenter veſcitur, nonne *cautionem nimiam* Præſul humaniſſimus *adhiberet, quæ dolus malus præſumi conſueuit?*

Eiuſdem pag. 107. num. 4. alteram Pontificis maxillam percutit his verbis: *nec præterea refixiſſet aut abrogaſſet* Clemens *generalis Capituli legem, quam illuſtris deceſſor Innocentius ratam fixamque habuiſſet, niſi mentione illius factâ, & QVÆSITO COLORE, quod videlicet neceſſitas vrſiſſet maxima &c.* quaſi *quæſitis coloribus*, non rationibus agantur ij, quos Inquiſitor ipſe faſſus eſt pag. 17. *ſcire ſe omnes ad bonum Eccleſiæ totius creatos, in illud diligenter incumbere.*

Cæterùm (ait pag. 108.) *à Clementis V. tempore Præmonſtratenſis Ordo cœpit deſloreſcere.* Verùm, id in vſum Pontificalium Abbati Pręmonſtratenſi à Clemente conceſſum refundet nemo, niſi qui corruptum Eccleſiæ ſtatum, de quo Nicolaus Clamengius in ſuo libro, ac repueraſcens ætate ingraueſcente Inquiſitoris ratiociniũ, eorumdem pontificalium inſignium geſtationi & vſui Antiſtitibus à ſupremis Pontificibus ſimiliter conceſſo, non autem dici

damnoſæ

damnoſæ nihil non imminuenti adſcribet; quique in inſanientis arrogantiæ profundum cum Inquiſitore hîc pag. 108. num. 5. demerſus, è limo profundi decretale iſtud audebit egerere, atque Apoſtolicæ authoritati impingere, *vt in Monachis, ita & in Clericis Præmonſtratenſibus conceſſa Pontificum inſignia non poſſunt ad ornamentum Eccleſiæ conducere.*

Paginâ verò 110. num. 6. ſuppoſtorem ſe prodit impudentiſſimum, æque ac hiſtoriæ obſeruatorem ignorantiſſimum. Suppoſtorem dico; quippe qui, priuilegio à ſe laudato licet reclamante, in vnius Abbatis contemporanei & æqualis duntaxat merita refundi poſſe contendit, quæ in antiquam atque auitam Archimonaſterii Præmonſtratenſis, ac degentium in eo Abbatum Generalium, & Canonicorum deuotionem ac fidei puritatem, quam ad Pontifices, Romanamque Ecceſiam ſemper habuerant, atque etiamnum inconcuſſam conſeruabant, priuilegium ipſum clamat refundenda: *Conſiderantes itaque deuotionis & fidei puritatem, quam ad nos & Romanam Eccleſiam Monaſterium tuum, ac degentes in eo habuiſſe & habere noſcuntur; & volentes ex hoc Monaſterium ipſum ſpiritualibus de-*

corare inſignijs, & præuenire honoribus & fauoribus gratioſis &c. Hiſtoriæ addo ignorantiſſimum: nimirum ſi Diplomata, quæ legit, laudauit, exſcripſit, ſedatiori conſpexiſſet animo, merita Præmonſtratenſium in iis à ſummis Pontificibus recenſita ipſe cognouiſſet. Si ſedulò legiſſet hiſtorias, vidiſſet in iis à Præmonſtratenſis Eccleſiæ Canonicis extinctam fuiſſe Tanchelini ſacramentariam hæreſim in Belgio. Cooperante plurimùm ſanctiſſimo Parente Norberto reſtitutum in Sedem Innocentium II. quemadmodum teſtatur Lotharius ipſe Imperator in epiſtola ſua Encyclica ad Reges, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Principes, & vniuerſos Dei fideles, monens Innocentium 2. legitimum Pontificem Maximum à ſe reſtitutum, Petrum verò Leonis, eiuſque gregarios iure damnatos, & ita viſum eſſe Norberto Magdeburgenſi Cancellario ſuo, aliiſque poſt ipſum nominatis. A noſtro Bernardo Fontis-Calidi Abbate circa annum 1190. aduerſùs Vualdenſes & Arrianos ingenti ſpiritus ardore, copioſo fructu, cùm verbo, tùm ſcriptis egregiis fuiſſe pro Matre Eccleſia dimicatum. Noſtrorum conſilio & ſuaſu ſtupenda circa annum 1260. ab Hay-

tone victorioſiſſimo Armeniæ Rege ad propagandam fidei Catholicæ veritatem, hæreſim atque infidelitatem penitus è medio tollendam, euertendamque, geſta eſſe: Quis porro, & qualis Regni princeps fuerit Hayto noſter, vel ex eo licet colligere, quòd aliquando quatuor & viginti Reges ſub poteſtate habuerit, qui ſinguli diademate vterentur: quòd zelo cœleſti exæſtuans ſolus Tartarorum fines ſummis in periculis ingreſſus ſit, vt eos ad veram fidem adduceret: quòd Mangonem Chamum ſeu Imperatorem Tartarorum ad fidem conuerterit: Haolonum eius fratrem aquis ſalutaribus tinxerit: Principes, Nobiles, populi maximam partem ad eandem voluntatem compulerit: Tartarorum in immenſum fuſam nationem Chriſtianis Principibus fœdere copularit: in Turcam armarit: eius auxilio, ductuque Haolonus Perſidem occuparit: Calypham Saracenorum pſeudoprophetam euerterit: Syriam, ipſamque Redemptoris ſanguine nobilitatam vrbem Hieroſolymam cum ducentis Equitum millibus receperit: Hayto ipſe quinque nobiliſſimas de Turcis Orbi Chriſtiano infeſtiſſimis hoſtibus victorias reportarit: Hic tantus ſe tandem

in Cypro inſula Præmonſtratenſibus adjecit eo ipſo in loco, in quo Turcas ſuderat. Hæc, inquam, & ſexcenta ſimilia vidiſſet Inquiſitor, quibus ſibi Præmonſtratenſes Romanam Eccleſiam deuinxerant, quæque ſponte prætermitto, vt ad Clementis V. tempora veniam, oſtendamque quàm falſò & ignoranter hîc dixerit Inquiſitor, *eo tempore Præmonſtratenſem Abbatem nullum fuiſſe, qui Romanam Eccleſiam ſingulari beneficio ſibi deuinxerit, & propterea Pontificem illius excitauerit, vt Abbati conferret, quod in hoc priuilegio contuliſſe dicitur*, puta Pontificalium vſum: Nimirum eo tempore Præmonſtratenſi Eccleſiæ, totique Ordini præfuit Adamus I. vir ſæcularibus ac diuinis litteris mirum in modum eruditus; prudentia in rebus agendis, pietateque celeberrimus, cuius præclaras animi dotes Clemens ipſe penitius agnouit in Concilio Viennenſi, cui Adamus noſter interfuit, reſque Matris Eccleſiæ contra Saracenos, hæreticos, atque Clericorum ſui ſæculi corruptos mores non parum promouit. Hæc in Bibliotheca Præmonſtratenſi non vidit Inquiſitor, aut certè diſſimulauit.

Eiuſdem pag. 110. num. 7. arcanorum Majeſtatis ſe ſcrutatorem ac ponderato,

rem oſtendit arrogantiſſimum : pag. verò 111. num. 8. Vicarij Chriſti, fideliumque Parentis deriſorem inſanum; quemadmodum legenti conſtabit (ſi modò iuſta indignatio lectionem ferre queat ſimilium.)

Num. 9. Clementi atrociter imponit, quaſi ſapiens ille ac bene moratus Pontifex vellet Pontificum indumentis ac inſignibus, non doctrinâ & virtute Eccleſiam Dei exornari; cuius eſſe longè oppoſitam mentem, conſtat ex ipſiuſmet verbis in Diplomate laudato : *ſperans*, ait, *vt in ornatu tantò immaculatas ſe diligentiùs ſtudeant conſeruare, quantò propenſiùs tenentur diligere decus proprium & decorem.* Ornatur ergo Eccleſia Dei Sacerdotum doctrinâ & virtute; ornatur & Pontificum ac Miniſtrorum diuinis Officiis inſeruientium Majeſtate, qui doctrinâ & veſte ſunt diſcernendi à plebe & cæteris, conuerſatione & habitu, mentis puritate & cultu : quia ſi veſte, non doctrinâ diſcernuntur; habitu, non conuerſatione; cultu, non mentis puritate, fideles illudunt : ſi verò doctrinâ, non veſte; ſi conuerſatione, non habitu; ſi mentis puritate, non cultu: vt quid tot editi de comæ Clericorum reſecatione, de Sacerdotalibus indumentis, de ceremoniarum

Ordinationibus, de Pontificalibus ornamentis in vnoquoque, ſeu Oecumenico, ſeu Prouinciali Concilio Canones?

Nec multò ſpectabiliora ſunt quæ num. 10. ex obſoletis Ethicæ ſuæ promptuariis eruta protrudit, dicens: *Si Clemens ex mera liberalitate, vt in priuilegio dicitur, Præmonſtratenſi Abbati concedit Pontificum inſignia, neceſſe non eſt, vt liberalitatem meram iis præmuniat rationibus, quibus illam præmunire conatur. Nam ſi quid rationes valeant, mera non eſſet liberalitas, ſed ſpecies quædam iuſtitiæ.* Quaſi verò quod fit ex prudentiæ dictamine, affectúque virtutis (cuiuſmodi debet eſſe omnis actus ſtudioſus,) rationibus motiuiſque niti non debeat: & vbicunque motiua rationeſque aliquid valent, ibi *ſit ſemper quædam iuſtitiæ ſpecies.* Certè qui moralis diſciplinæ regulis leuiter ſunt imbuti, ij norunt ab eiuſmodi regulis quantùm aberret hæc Launoïca ratiocinatio.

Atque hæc ſunt euerſæ mentis momenta præcipua, quibus tot flagitiorum reum ſe prodit vno in capite Inquiſitor.

Digitized by Google

CAPVT XIII. AD XII. CAP. INQVISITIONIS RESPONDENS.

Impoſturæ, Imperitiæ, ſuffoſſionis conuincitur Inquiſitor.

FAMILIARE eſt Inquiſitori de capaci mendaciorum fodinâ falſa ſupponere, quò in amplum diſruptis ſinceritatis & iuſtitiæ repagulis excurrere queat. Quod & egregiè præſtat hoc in capite, ſupponens aſſeri à nobis, priuilegium Abbati Præmonſtratenſi de inſignium Pontificalium geſtatione conceſſum, ad reliquos Abbates, imò & ad Priores, atque Canonicos cæterorum Monaſteriorum transferri poſſe, ac de facto tranſlatum: *Si reliqui Abbates profeſſi (* ait pag. 113. n. 3. *) & Pontificalia indumenta geſtandi, & more Pontificum benedictionem impertiendi priuilegio careant; eodem quà ratione gauderent Priores, & Canonici cæterorum Monaſteriorum?* Certè priuilegio iſto nullus Priorum, nullus Canonicorum

Præmonſtratenſium gaudere ſe vnquam aſſeruit; nullus reliquorum Abbatum, niſi qui priuilegium aliud ſpeciale ſibi ſpecialiter à Sancta Sede conceſſum obtinuerit: vt ſit ille non parum malus, qui de tam malo theſauro tot profert mala, & falſa.

Venio nunc ad Clementinam, *Archiepiſcopo.* Tam inſcitè laudatam ab Inquiſitore, tam flagitiosè ſuffoſam, atque in dictorum à ſe huc vſque, dicendorumque aduersùs Præmonſtratenſium immunitates, perniciem atque euerſionem omnimodam tam incautè prolatam.

Inſcitè laudatam dixi; vt qui iuris citationes necdum apprimè nouerit: quiſquis enim Clementinam illam ſub hoc titulo laudat, *de priuilegijs cap. 2.* Hîc ſe iuris Eccleſiaſtici tironem prodit.

Flagitiosè truncatam addidi: quippe qui verba iſta, *ſine Pontificalibus*, inuerecundè à Clementina ſuſtulerit: quod ipſe faſſus eſt in Aſſertione Inquiſit. in Monaſterij ſancti Medardi Sueſſionenſis priuilegium 3. p. cap. 11. in has à R. P. Quatremario, & in longè periculoſiores adductus anguſtias: *quidquid id eſt*, ait, *quæ voces duæ ſubſtractæ ſunt è textu Clementinæ*,

iampridem curaui vt reſtituerentur. Addere ſimiliter debuerat, ſe curaſſe vt reſtituerentur hæc duo verba à ſe immutata, *Vel circa HOC PRIVILEGIATIS*, quorum loco poſuerat iſta, *Vel circa hos priuilegiatos.* Curaſſe denique vt hæc duo in fine Clementinæ à ſe expuncta, *ALIVD QVOMODOLIBET*; pariter reſtituerentur, quæ vt innoteſcant, Clementiam ſubiicio. [Archiepiſcopo per quæuis loca exempta ſuæ Prouinciæ facienti tranſitum, aut ad ea forſitan declinanti, vt crucem ante ſe liberè portari faciat, benedicat populo, diuina Officia priuatim vel publicè ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, & faciat in ſua præſentia, SINE PONTIFICALIBVS celebrari, quouis priuilegio non obſtante, ſacro approbante Concilio, præſentis Conſtitutionis ſerie duximus concedendum. Simili modo concedimus Epiſcopo, vt in locis eiſdem ſuæ Diœceſis poſſit populo benedicere, audire diuina Officia, & ea etiam celebrare, & in ſua præſentia facere celebrari; ſic tamen quod prætextu conceſſionis huiuſmodi in locis ipſis exemptis, vel circa HOC PRIVILEGIATIS nullam

aliam iuriſdictionem idem Archiepiſco-pus, vel Epiſcopus exerceat, nec perſonis exemptis vel priuilegiatis moleſtiam inferat, vel grauamen; nullumque exemptioni vel priuilegiis eorumdem aliud præiudicium generetur, nec ipſis Archiepiſcopo, vel Epiſcopo ius ALIVD QVOMODOLIBET acquiratur.]

In dictorum ab ſe, dicendorumque omnimodam euerſionem aſſerui Clementinam allatam: cùm in ea priuilegia immunitateſque modo ſtabiliantur inconcuſſo. Nimirum *Exceptio firmat regulam*, vti habet iuris axioma commune: cum igitur ſola excipiatur benedictio, cuius populo impertiendæ in locis exemptis facultas à ſummo Pontifice, ſacro approbante Concilio, de gratia conceditur Epiſcopo per loca Exempta facienti tranſitum, aut ad ea forſan declinanti; ceteræ proculdubio ſic firmantur eâ Clementinâ libertates & immunitates, vt earum aſſertioni validius nihil patrocinari queat. *Sic tamen quod prætextu conceſſionis huiuſmodi in locis ipſis exemptis, vel circa hoc priuilegiatis nullam aliam iuriſdictionem idem Archiepiſcopus, vel Epiſcopus exerceat; nec perſonis exemptis vel priuilegiatis moleſtiam inferat vel grauamen;*

Digitized by Google

nullumque exemptioni vel priuilegiis eorumdem aliud præiudicium generetur, nec ipſis Archiepiſcopo vel Epiſcopo ius aliud quomodolibet acquiratur. Quid in confirmationem priuilegiorum clarius proferri poterat, quid-ve illuſtrius? vnde ſi Epiſcopus *in locis exemptis* ſacros Ordines conferre, ſi chriſmare attentet, niſi de priuilegiatorum conſenſu rogatu-ve, in Clementinam turpiter impingit. Si verò *perſonis exemptis moleſtiam inferat, aut grauamen*; ſi in ſua cauſa iudicem acturus, in eaſdem manus iniiciat: nonne Clementem, Clementinamque à ſe & pro ſe in vno laudatam, in altero ridet ac floccifacit?

Notandum porro in allatâ Clementinâ vocabulum iſtud *nullum aliud præiudicium*, quod materiam deſignat odioſam, quamque iura omnia ampliari, extendique vetant.

Sed mirum quantâ cœcitate percutiatur Inquiſitoris animus, qui cum quater expreſſam viderit, exſcripſeritque, in allata Clementina *locorum exemptionem*, eamque à perſonarum exemptione expreſſiſſimè diſtinctam atque ſeparatam; audet nihilominùs, impudenterque aſſerit pag. 115. *Tria eſſe omnino, in quæ cadere po-*

Digitized by Google

teſt vera immunitas vel exemptio, bona, perſonas, actiones; quaſi Archiepiſcopum *per quæuis loca exempta* tranſire, aut ad ea forſan declinare, eſſet per bona, perſonas, actioneſque tranſire; in iis *exemptis locis* diuina celebrare, eſſet in bonis, perſonis, aut actionibus celebrare; *dictis in locis* populo benedicere, eſſet in bonis, perſonis, & actionibus exemptis benedicere. Cumque immunitas ex Inquiſitore ſit *vacatio à muneribus, & libertas ab oneribus*, diſcat vel inuitus ex vicinæ ſuæ conqueſtione, in cuius aream vas in contumeliam diebus ſingulis volebat effundere, loca etiam eſſe poſſe, & debere ab oneribus vacua & libera: diſcat & à Iuriſperitis, cum à generali interdicto Eccleſia eximitur, localem eſſe exemptionem.

Quo igitur *actu Epiſcopus*, plebe tumultuante, ſolito ſtipatus comitatu, *baptiſatis manum* vellet *imponere*, *eodem* (ô homo iocans in feriis) *baſilicæ quidem Monaſterij cenſum non imponeret*, ſed à baſilica potiori, temploque ſanctiori ſenſum veræ deuotionis auerteret. *Eodem* non *decerneret* quidem (ô animalis homo) *vt baſilicæ pauimentum, feneſtræ, portæ, tegulæ, campanæ tollerentur*, ſed vt viui lapides, quorum

exercitia, ſpiritualeſque functiones per horas, momentaque ſic diſtinctæ ſunt, vt dies pleniſſimi inueniãtur in eis, aliò transferrentur. Quod attendentes Pontifices Romani, quietique ac paci partis illius Eccleſiæ ſelectæ & ſanctæ ſedulò inuigilantes, non modo bonorum, perſonarum, actionumque, ſed & locorũ omnimodam ab Epiſcopali ſubiectione immunitatem tribuendam ſenſuerunt. Et hæ quidem Epiſcopales functiones ſic à quiete & tranquillitate in Officiis diuinis requiſitâ iudicatæ ſunt alienæ, vt eas in choro ſuarum Eccleſiarum (quia locus Dei laudibus decantandis ſpecialiter eſt conſecratus) Epiſcopi exercere non poſſint. Cuius confirmatio non aliunde, ſed à Laudunenſi Epiſcopo deſumenda eſt, qui cum ante annos aliquot Cõfirmationem atque Ordines ſacros in choro Cathedralis Eccleſiæ à ſe conferendos indixiſſet, à Capitulo, ne conferret, eſt prohibitus, atque in Eccleſiæ naui miniſterium exercere coactus.

Imperitus autem è Normannia clericus, cum veram illam immunitatis & exemptionis notionem ignorat, omnia ſursùm deorsùm vertit, ac pro innata terræ na-

tiuitatis ſuæ litigandi impetigine, commotionibus ac jurgiis opplere non veretur omnia.

Sed ad Clementinam mihi reuertendū eſt, diſcutiendumque, an ea quid conferat ad hoc vt in Sammartinenſi Eccleſia Laudunenſis Epiſcopus populo ſuo benedicere potuerit? Negatiuam ſic ſtabilio: nimirum tritum illud juris eſt, nec minùs conſtans ac ſtabile, *Iura poſteriora derogare prioribus. Priuilegia*, vtpote ſpeciales leges, *derogare communibus*: cùm igitur Alexandri V. Diploma Præmonſtratenſibus conceſſum, & priuilegium ſit, & Clementinâ annis centum poſterius, illud Clementinæ verè derogare, ambiget nemo qui legerit. Hoc autem vt penitus euincam, verba ex Alexandri priuilegio propono rem abſoluentia, (donec integrum ſuo loco referam) quæ talia ſunt: *Hinc eſt quòd nos nonnullorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhærentes, prædictos Abbates, Priores &c. necnon Eccceſias, & alia loca ab eiſdem Monaſterijs dependentia, ab omni ſuperioritate, dominio, iuriſdictione, necnon viſitatione quorumcunque Patriarcharum &c. plenariè de ſpecialis dono gratiæ eximimus, & totaliter liberamus: illaque ad jus & proprietatem*

Beati Petri Apoſtoli, & Sedis Apoſtolicæ, ac ſub eorum ſpeciali protectione ſuſcipientes atque noſtra, decernimus Præmonſtratenſe & alia Monaſteria &c. cum Eccleſiis & alijs locis ſupradictis, præfatæ Sedi ſoli & immediatè ſubjacere; Ita quòd Patriarchæ &c. non poſſint authoritate ordinariâ in Abbates &c. Eccleſias, & loca prædicta, vtpote prorſus exempta &c. poteſtatem, dominium, ſeu juriſdictionem aliquam exercere. Fœlicis recordationis Innocentij Papæ IV. prædeceſſoris noſtri circa exemptos edita &c. ac alijs conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium editis nonobſtantibus quibuſcumque. Eadem bis repetuntur in poſteriori eiuſdem Alexandri V. Diplomate, additurque, *Abbates tamen, Priores &c. Eccleſias, & loca præfata à præſtatione procurationum, aut aliorum juriſdictionalium quorumcunque, necnon juriſdictione, poteſtate, & dominio præfatis, liberos & immunes exiſtere authoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus.* Vnde ſic argumentum conficio: Loca Præmonſtratenſium à præſtatione procurationum, aut aliorum juriſdictionalium quorumcunque, ab omni ſuperioritate, dominio, juriſdictione Patriarcharum &c. plenariè eximuntur, & totaliter liberantur, cum ampliſſimo decreto Bullam Innocen-

tij, aliorumque in contrarium editas irritante: atqui benedictionis impertitio expreſſè in Clementina iuriſdictio appellatur; ergo ab eâ loca Præmonſtratenſium ab Alexandro V. plenariè & totaliter eximuntur.

Neque eſt quòd reponat Inquiſitor, Clementinæ per Alexandrum expreſſè non eſſe derogatum, nec factam nominatim de benedictione impertienda mentionem. Enimuerò quę ſunt iuris communis hoc diſcrepant ab iis, quæ ſunt ſpecialis, quòd iſtis poſſit derogari terminis vniuerſalibus, hæc autem in derogatione nominatim ſint exprimenda: vnde, cùm dicta Clementina rem, de qua tota concepta eſt, ad jus commune reuocet, iis quæ ſunt in ea contenta terminis iſtis vniuerſalibus, *ab omni iuriſdictione, & iuriſdictionalium quorumcunque præſtatione plenarè eximimus & totaliter liberamus*, ſufficientiſſimè, imò abundantiſſimè eſt derogatum: aliàs ſi, ad hoc vt aliquis à lege communi eximatur, quæcunque de lege communi in illum exerceri poſſunt, ſigillatim in particulari eſſent exprimenda, nullus vnquam à lege communi ſufficienter exſolui poſſet, cùm caſus omnes, omneſque circunſtantiæ in particulari

particulari nunquam ſufficienter enumerari queant.

Addo & vni actionum generi ſatis expreſſè derogari, cum illæ actiones quæ ſunt potiſſimæ maximique momenti nominatim exprimuntur in derogatione, cæteræ verò minùs ſpectabiles terminis vniuerſalibus. Quod quidem ab Alexandro V. Bullam Innocentii (quæ de potioribus eſt, quæ poterant ab Ordinariis in exemptos exerceri) nominatim; alias verò, vt Clementinam &c. generatim reuocante, euidenter eſt præſtitum.

Aſſertionem hanc confirmat pacifica & communis, atque ab Alexandri V. temporibus minimè interrupta, per ſingula Præmonſtratenſis Ordinis Monaſteria cujuſcunque diœceſis poſſeſſio, quâ compertum eſt Archiepiſcopos aut Epiſcopos in Eccleſiis noſtris populo ſuo nec benedicere, nec benedixiſſe: quia ſicut in aliena Diœceſi Epiſcopus benedictionem non impertit; ita nec in Eccleſiis noſtris (vtpote ad proprietatem B. Petri, & ad Romanum Epiſcopatum tranſlatis, ſolique Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectis) vllus ab eo tempore Diœceſanus Epiſcopus benedictionem potuit impertire.

Digitized by Google

Poſſeſſionem hanc agnouit anno 1645. illuſtriſſimus Leonorius d'Eſtampes Rhemenſis Archiepiſcopus, qui cum loca Metropolitanæ ſuæ ſubdita primò viſitaret, atque ad Monaſterium ſancti Euodij de Brana Præmonſtratenſis Ordinis, diœceſis Sueſſionenſis deueniſſet; abſoluto ferè per vnum è noſtris Majori Sacro, cui Præſul præſens interfuerat, loci Priorem accerſiuit, monuitque conſtituiſſe ſe, finito Sacro, populo benedictionem impertire; cui Prior, rem eſſe inſolitam, illæſiſque Monaſterii ſui priuilegiis fieri non poſſe. Inſtat Archiepiſcopus, tantum ſibi juris hoc in caſu competere, quantum Epiſcopo Sueſſionenſi ad Monaſterium declinanti; nec mora, ſiſcitatur à primoribus ſenioribuſque ciuitatis, qui eum ad Monaſterii baſilicam deduxerant, num Sueſſionenſis Epiſcopus in ea baſilica populo ſuo benediceret? reſponſio ingenua eſt ac ſincera, nunquam vidiſſe ſe, imò nec à Majoribus accepiſſe, Sueſſionenſem Epiſcopum in dicto Monaſterio quid ſimile præſtitiſſe: quâ reſponſione acceptâ, nihil vltra molitus eſt Archiepiſcopus.

Huic porro ducentorum quinquaginta duorum annorum poſſeſſioni ſic

apertæ, ſic confirmatæ *Iure ipſo* tanta vis ineſt, vt, ſecluſo etiam priuilegio, legitimam præſcriptionem aduersùs Diœceſanos Epiſcopos inferat: cum ſit res iſta præſcriptioni obnoxia, atque inter perſonas præſcribendi capaces.

Quod quidem in præſenti materia vſque adeò verum eſt, vt *poſſeſſione* Galliarum Epiſcopi Suffraganei aduersùs Archiepiſcopum per loca ſuæ Prouinciæ tranſeuntem ſe deffendentes, non patiantur eum in ſuis Diœceſibus populo benedictionem impertire. Vnde communiter dicunt Clementinam illam in Gallia non fuiſſe receptam vſu.

His adde, cum Monaſteria Præmonſtratenſium Diœceſanæ authoritati per ſuperiorem legitimam poteſtatem ſint ſubſtracta, territorium Beati Petri, in quibus Abbates infulati tanquam Romani Pontificis locales ſuffraganei præſentibus benedictionem impertiunt; rationi non videri conſentaneum, vt in iiſdem Epiſcopi Diœceſani benedicant: quippe in eodem loco duo reperirentur Benedicentes minimè ſubordinati, nihilque commune habentes.

CAPVT XIV. AD XIII. CAP. INQVISITIONIS RESPONDENS.

Inquiſitoris Indoles oſtenditur.

QVAM vera ſint, nec ſubreptitia, obreptitia, vel ſuppoſita Clementis V. priuilegia cap. 12. Relata; quam truculentæ Inquiſitoris impugnationes, aperuimus. Nunc rem hîc ab eo tractatam breuiter expedio, quò ad ea quæ maioris momenti ſunt incunctanter progrediar.

Hoc igitur in capite tria conſidero, ex quibus Inquiſitoris indoles tota in eá quæ deteriora ſunt, prona cognoſcatur. 1. ex parte minima, imò ferè inter partes non numeranda, eaque ignobiliori, deteriori; non à maiori, ſaniori, nobiliori efficaciter ignobiliorem corrigenti, totius communitatis efferit cognoſcendam eſſe indolem: genium nimirum Præmonſtratenſium, à Saxonum quorundam Abbatum contumacia, non à Præmonſtraten-

ſis, aliorumque Capitulum generale componentium, & aduersùs Saxones generosè inſurgentium, atque efficacioribus iuris mediis emendatium, zelo ac magnanimitate colligendum eſſe: quaſi Eccleſiæ Dei indoles à peruerſis Chriſtianis, ſacrilegis, & apoſtatis, non à ſaniori, ſanctiorique, errantes quoquo modo ad viam reuocāte portione colligenda foret.

2. pag. 119. Partis infirmioris erratis contendit ſuſpectas reddi, labefactarique poſſe apud cordatos homines firmiorum, *ſi non omnes, ſaltem multas* actiones: ac ſi anilibus imperitiſque eius ratiociniis inſigniorum Pariſienſis facultatis Doctorum acies authoritas ve nutaret: aut certè de Sacerdotis ad furcam damnati vita proiecta, Inquiſitoris, Sacerdotumque omnium vita moreſque ſuſpectiores apud cordatos redderentur.

3. Ex iactantia & non oſtenſione priuilegij Saxonici (*aſſerebant quippe Saxoniæ Abbates, ſe ab Apoſtolica Sede exemptionis priuilegium impetraſſe, quod tamen non proferebant aliquatenùs in commune*) concludit à Saxonibus haud dubiè ſubreptum fuiſſe eiuſmodi priuilegium: ac ſi de Vaſconis ignobilis & infœlicis iactantia, qui de

auorum, prauorumque ingenua nobilitate, de domorum, caſtrorum, redituum numeroſitate longam texeret narrationem, Vaſconis nobilitas ac diuitiæ compertæ haud dubiè, exploratæque ſenſeri deberent. Sed ad Alexandri 5. priuilegium venio.

CAPVT XV. AD XIV. CAP. INQVISITIONIS RESPONDENS.

Multis confunditur Inquiſitoris petulantia circa Alexandri V. priuilegium.

HIc tria mihi præſtanda ſunt. 1. proponendum Alexandri quinti priuilegium. 2. ſubiiciенda quæ in eius confirmationem proferri poterunt. 3. partis aduerſæ obiectionibus reſpondendum.

Cæterùm lectorem moneo, quæcumque hîc ſubditurus ſum, apographa eſſe, ſincerè & fideliter ex Archetypis, Originalibuſque coram Magno Regis Conſilio, vocatis iuridicè, diſcutientibuſque

Aduerſariis, productis, ſeu, vt vocant, compulſatis exſcripta.

Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Excitat noſtræ mentis arcanum ſpecialis affectio, quâ dilectos filios Abbatem & Conuentum Monaſterij Præmonſtratenſis, Laudunenſis Diœceſis, ſumus hactenus proſequuti, & paterno proſequi ſtudio non ceſſamus, vt circa ſtatum ipſorum, necnon dilectorum filiorum Abbatum, Prælatorum, Priorum, Præpoſitorum, Decanorum, Canonicorum, Conuerſorum, Donatorum, & Dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Monialium, Conuentuum & perſonarum in humilitatis ſpiritu in Monaſteriis ſiue locis eiuſdem Ordinis Domino famulantium, attentæ conſiderationis intuitum dirigentes, Eò circa ipſorum quietem feruentiùs laboramus, vt fœcundiùs illorum religio fructum eis afferat ſalutarem, & laudabilibus poſſint in Domino proficere incrementis. Hinc eſt quod nos nonnullorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, prædictos Abbates, Priores, Prælatos, Præpoſitos, Decanos, Canonicos, Conuerſos, Donatos, Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, & Perſonas, cum omnibus membris, Curtibus, Grangiis, Domibus, Poſſeſſionibus, & perſonis degentibus in eiſdem, necnon bonis

Priores, Præpoſitos, Decanos, Canonicos, Conuerſos, Donatos, Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, Conuentus, Perſonas, Monaſteria, Prioratus, membra, Eccleſias, & loca prædicta, vtpotè prorſus exempta, *Excommunicationis, Suſpenſionis, aut Interdicti ſententias promulgare, aut poteſtatem, Dominium, ſeu Iuriſdictionem aliquam exercere, fœlicis recordationis Innocentij Papæ quarti prædeceſſoris noſtri, circa exemptos ædita, quæ incipit, Volentes. ac aliis conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium æditis, non obſtantibus quibuſcunque. Volumus autem quod Abbas qui nunc eſt, & ſucceſſores ſui Abbates, qui erunt pro tempore dicti Monaſterij Præmonſtratenſis, ac huiuſmodi Conuentus ad Indicium perceptæ à nobis huiuſmodi libertatis, Sex Florenos auri de Camera in feſto beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum annis ſingulis Cameræ Apoſtolicæ ſoluere teneantur. Decernimus inſuper quoſlibet Excommunicationum, Suſpenſionum & Interdicti ſententias, ac proceſſus quoſcunque, quaſuis pœnas atque ſententias continentes, quos, & quas contra Abbates & Prælatos, Priores, Præpoſitos, Decanos, Canonicos, Conuerſos, Donatos, Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, Conuentus, Perſonas præſentes & poſteros, Monaſteria, Prioratus, membra, Eccleſias, & loca ſupradicta, contra*

tenorem exemptionis huiuſmodi quomodolibet promulgari & haberi contigerit, irritos & inanes: Quodque per huiuſmodi exemptionem & alia ſupradicta priuilegiis, libertatibus, immunitatibus & Indulgentiis Abbatibus, Prælatis, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Canonicis, Conuerſis, Donatis, Abbatiſſis, Prioriſſis, Monialibus, Perſonis, Conuentibus, Monaſteriis, Prioratibus, membris, Eccleſiis & locis prædictis conceſſis, & quæ in ſuo robore permanere volumus. Ac quoad Procurationes in locis, ſeu Eccleſiis Monaſteriorum & membrorum recipi conſuetas, & quoad Iuriſdictionem omnimodam in eiſdem Parochialibus Eccleſiis, quantum ad ea quæ curam animarum concernunt, etiam ſi cura huiuſmodi per Canonicos dicti Ordinis exerceri conſueuerit, Diœceſanis locorum, ſeu quibuſvis aliis nullum præiudicium generetur. Præterea omnes libertates & Immunitates à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, eiſdem Monaſteriis, Prioratibus, membris, Eccleſiis & locis conceſſas, necnon libertates, & exemptiones ſæcularium exactionum à Regibus aut Principibus, vel aliis Chriſti fidelibus rationabiliter eiſdem Abbatibus, Prioribus, Prælatis, Præpoſitis, Decanis, Canonicis, Con-

uerſis, Donatis, Abbatiſſis, Monialibus & perſonis, necnon Monaſteriis, Prioratibus, membris, & locis huiuſmodi indultas, ac etiam eorumdem Abbatum, Priorum, Prælatorum, Præpoſitorum, Decanorum, Canonicorum, Conuerſorum, Donatorum, Abbatiſſarum, & perſonarum antiquas & rationabiles conſuetudines, authoritate prædictâ confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ exemptionis, liberationis, conſtitutionis, ſuſceptionis, voluntatis, confirmationis, & noſtræ communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſum. DATVM Piſis ſecundo Calendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno primo.

Cum autem circa quædam hocce in priuilegio contenta, difficultas eſſet orta, hanc ſuſtulit idem Alexander indulto ſequenti, quo & prius confirmat.

Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Cùm de indultis & gratiis Apoſtolicis dubitatur, decet vt dubia huiuſmodi oraculo ſummi Pontificis declarentur. Sanè dudum nonnullorum Rom. Pontificum præ-

Digitized by Google

deceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, Monaſterium Præmonſtratenſe, Laudunenſis Diœceſis, necnon dilectos filios Abbates, Priores, Præpoſitos, Decanos, Canonicos, Conuerſos, Donatos, & dilectas in Chriſto filias Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, & Conuentus Monaſteriorum, & locorum Præmonſtratenſis Ordinis cum omnibus membris, Curtibus, Grangiis, Domibus, Poſſeſſionibus & perſonis degentibus in eiſdem, necnon bonis mobilibus & immobilibus, ac aliis rebus quibuſcunque, quæ tunc poſſidebant, & in futurum, dante Domino, poſſent iuſto titulo adipiſci, necnon Eccleſias & alia loca ab eiſdem Monaſteriis dependentibus ab omni ſuperioritate, dominio, iuriſdictione, necnon viſitatione quorumcumque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & aliorum quorumcumque Iudicium Ordinariorum & Officialium Eccleſiaſticorum, plenariè, *cum modificatione infra ſcripta, per alias noſtras litteras* exemimus, & totaliter liberauimus.

Ita quod Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Iudices Ordinarij, & Officiales prædicti, etiam ratione delicti, aut contractus, vel rei de qua agi contingeret, vbicunque committeretur delictum, iniretur contractus, aut res ipſa conſiſteret, non poſſent authoritate ordinaria in Abbates, Prælatos, Priores, Præpoſitos, Decanos,

Digitized by Google

Canonicos, Conuerſos, Donatos, Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, Conuentus, Perſonas, Monaſteria, Prioratus, membra, Eccleſias, & loca prædicta, vtpotè prorſus exempta, Excommunicationis, Suſpenſionis, vel Interdicti ſententias promulgare, aut poteſtatem, dominium, ſeu iuriſdictionem aliquam exercere; Quòdque per huiuſmodi exemptionem, & alia ſupradicta, quo ad Procurationes in locis, ſeu Eccleſiis Monaſteriorum & membrorum prædictorum recipi conſuetas. Et quoad Iuriſdictionem omnimodam in eiſdem Parochialibus Eccleſiis, quantum ad ea quæ curam animarum concernerent, etiamſi cura huiuſmodi per Canonicos dicti Ordinis exerceri conſueuiſſet, Diœceſanis locorum, ſeu quibuſvis aliis nullum præiudicium generaretur, prout in ipſis litteris pleniùs continetur. Cùm autem, ſicut accepimus, nonnulli de modificatione huiuſmodi diſceptantes, Diœceſanos prædictos nedum in Canonicos Monaſteriorum ſeu locorum prædictorum, qui pro tempore curam exercent, & Eccleſias, ſeu loca regunt antedicta, ratione curæ huiuſmodi Iuriſdictionem, poteſtatem, & dominium habere, verum etiam Abbates, Priores, Præpoſitos, Decanos, Canonicos, Conuerſos, Donatos, Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, Conuentus, perſonas, Monaſteria, Prioratus,

membra, Eccleſias & loca prædicta, quoad certas Procurationes, & alia Iuriſdictionalia præſtanda, dictà exemptione non obſtante, ipſis Diœceſanis ſubeſſe prætendant. Nos ad omne ambiguitatis tollendum dubium in præmiſſis quod ipſi Canonici, qui curam exercebunt, & Eccleſias ſeu loca huiuſmodi regent, pro tempore Diœceſanis aut aliis locorum Ordinariis huiuſmodi, quoad exercitium huiuſmodi curæ animarum dumtaxat ſubeſſe, ac ratione earumdem Eccleſiarum Epiſcopalia Iura ſoluere, aliáque ipſarum Eccleſiarum onera ſupportare, & reſpondere teneantur, Abbates tamen, Priores, Præpoſitos, Decanos, Canonicos, Conuerſos, Donatos, Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, Conuentus, Perſonas, Monaſteria, Prioratus, membra, Eccleſias, & loca præfata à præſtatione Procurationum, aut aliorum Iuriſdictionalium quorumcunque, necnon Iuriſdictione, poteſtate, & dominio præfatis, liberos & immunes exiſtere, authoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus. Decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis & conſtitutionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, in-

Digitized by Google

dignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. DATVM Bononiæ Calendis Martij, Pontificatus noſtri Anno primo.

Hæc duo Alexandi 5. priuilegia confirmauit Ioannes 23. indulto ſequenti, quo S. Genouefæ Pariſienſis, Weſt-Monaſterj Londonienſis Diœceſis Abbatibus, ac Decano S. Georgij Colonienſis mandat, vt circa contenta in dictis priuilegiis, efficacis defenſionis auxilio Præmonſtratenſibus aſſiſtant.

Ioannes Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis ſanctæ Genouefæ Pariſienſis, & West-Monaſterij Londonienſis Diœceſis Monaſteriorum Abbatibus, ac Decano Eccleſiæ ſancti Georgij Colonienſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dudum ſiquidem fœlicis recordationis Alexander Papa quintus, prædeceſſor noſter, dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Canonicis, Conuerſis, Donatis, & dilectis in Chriſto filialibus Abbatiſſis, Prioriſſis, Monialibus & Conuentibus Monaſteriorum, & locorum Præmonſtratenſis Ordinis literas ſuas conceſſit in hæc verba, Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Excitat noſtræ mentis arcanum ſpecialis affectio, &c. vt ſuprà

pag. 167. *Item, Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam.* Cùm *de indultis & gratiis Apoſtolicis dubitatur, decet vt dubia huiuſmodi oraculo ſummi Pontificis declarentur. Sanè dudum, &c.* vt ſuprà pag. 171. C*upientes igitur vt prædictæ litteræ votiuum & debitum ſortiantur effectum, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, in præmiſſis & circa ea Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis,* C*anonicis,* C*onuerſis, Donatis, Abbatiſſis, Prioriſſis,* M*onialibus &* C*onuentibus præfatis & eorum ſingulis opportunè deffenſionis auxilio aſſiſtentes, non permittatis eos contra tenores exemptionis & litterarum prædictarum cuiuſuis temeritatis incurſibus ſiue exactionibus agitari vel affligi, aut per Archiepiſcopos, Epiſcopos, Iudices ordinarios, & Officiales præfatos, ſeu alios quoſcunque, quouis quæſito colore, indebitè moleſtari, vel ipſis in eorum rebus ac perſonis damna, vel iniurias aliquatenus irrogari,* C*ontradictores authoritate noſtra, appellatione poſtpoſità, compeſcendo, Non obſtante ſi Archiepiſcopis, Epiſcopis, Iudicibus ordinariis, & Officialibus præfatis, vel quibuſuis communiter vel diuiſim, à ſede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non*

poſſint

Digitized by Google

poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi mentionem. DATVM *Bononiæ Calendis Ianuarij, Pontificatus noſtri Anno primo.*

Quod quidem Ioannis 23. priuilegium Romæ publicatum eſt ſeu fulminatum in baſilica Beati Petri Principis Apoſtolorum, ante altare Veronicæ, die Martis 11. menſis Auguſti an. 1411. hora tertiarum, vel quaſi, vt conſtat ex inſtrumento ſequenti.

Reuerendis in Chriſto Patribus & Dominis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Iudicibus, Ordinariis, & Officialibus Eccleſiaſticis quibuſcunque, & eorum loca tenentibus, omnibus aliis atque ſingulis quorum intereſt, vel intereſſe poteſt communiter, & diuiſim. IOANNES *de Aruuitre Decretorum Doctor, Decanus Eccleſiæ ſancti Georgij Coloníenſis, Exequutor & Conſeruator ad infra ſcripta vnà cum infraſcriptis noſtris in hac parte Collegis, cum illa clauſulà, quatenùs Vos, vel Duo, aut Vnus veſtrûm per vos vel alium, ſeu alios à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatos, Salutem in Domino, & fidem indubiam præſentibus adhibere, ac Mandatis noſtris huiuſmodi, imò veriùs Apoſtolicis firmiter obedire. No-*

ueritis, quòd litteras Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri Domini Ioannis diuinâ Prouidentiâ Papæ vigeſimi tertij, eius vera Bulla plumbea cum cordula canapis dependente more Romanæ curiæ, Bullatas, ſanas, integras... atas, non cancellatas, non correctas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, nobis per Venerabilem & Religioſum virum Dominum Chriſtianum Calond, Canonicum Eccleſiæ Razeburgenſis, Præmonſtratenſis Ordinis, in Romana Curia Venerabilium ac Religioſorum Virorum Abbatis Præmonſtratenſis, Cæterorumque Abbatum Capituli generalis, Monaſteriorum, & perſonarum vtriuſque ſexus dicti Præmonſtratenſis Ordinis Procuratorem generalem, prout de ſuæ procurationis mandato nobis legitimè conſtabat..........coram Notario publico & teſtibus infraſcriptis præſentatas, nos cum ea quà decuit reuerentia excepimus, his verbis. IOANNES Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Sanctæ Genouefæ Pariſienſis, & West-Monaſterij Londonienſis Diœceſis Monaſteriorum Abbatibus, ac Decano Sancti Georgij Colonienſis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Dudum ſiquidem fœlicis recordationis Alexander Papa quintus Prædeceſſor noſter dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Canonicis, Conuerſis,

Donatis, & dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſis, Prioriſſis, Monialibus & Conuentibus Monaſteriorum, & locorum Præmonſtratenſis Ordinis litteras ſuas conceſſit, &c. vt ſuprà pag. 175. *Poſt quarum quidem litterarum Apoſtolicarum præſentationem & receptionem, fuimus per præfatum Dominum Chriſtianum procuratorem nomine procuratoris, quo ſupra, cum inſtantia debita requiſiti, quatenus ad exequutionem dictarum litterarum Apoſtolicarum, & contentorum in eiſdem procedere, ac proceſſus oportunos deſuper decernere & concedere dignaremur, iuxta traditam, ſeu directam à Sede Apoſtolica nobis formam. Nos igitur Ioannes Decanus, exequutor & conſeruator præfatus, volentes mandatum Apoſtolicum nobis in hac parte factum reuerenter exequi, vt tenemur. Idcirco dictas litteras Apoſtolicas, & hunc noſtrum proceſſum, ac in eis contenta vobis omnibus & ſingulis ſupradictis, & aliis quibuſcumque Chriſti fidelibus cõmuniter & diuiſim intimamus, inſinuamus, & notificamus, ac ad veſtram & cuiuſlibet veſtrûm notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes: & nihilominus vos omnes & ſingulos ſupradictos, videlicet Patriarchas, Archiepiſcopos, Iudices, Ordinarios ac Officiales, & eorum vices gerentes, & alios quoſcumque, quorum intereſt, vel intereſſe poterit in futurum tenore*

præſentium requirimus , & monemus primò, ſecundò , tertiò & peremptoriè , vobiſque nihilominùs & veſtrûm cuilibet in virtute Sanctæ Obedientiæ & ſub pœnis infra ſcriptis diſtrictè præcipiendo mandamus , quatenus omnes & ſingulos Abbates, Prælatos, Priores, Præpoſitos, Canonicos, Conuerſos, Donatos, necnon Abbatiſſas, Prioriſſas , Moniales, Conuentus , & perſonas dicti Ordinis Præmonſtratenſis vbicumque locorum Conſtitutas , cum omnibus ſuis membris, curtibus, grangiis , domibus , poſſeſſionibus , bonis , & rebus mobilibus & immobilibus , ac Eccleſiis & locis ab eis dependentibus , ſoli Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectis , omnibus & ſingulis priuilegiis , exemptionibus , libertatibus , immunitatibus , indulgentiis , ipſis per fœlicis recordationis Alexandrum Papam quintum & alios ſuos prædeceſſores Romanos ſummos Pontifices conceſſis , vti liberè, & pacificè gaudere iuxta tenores dictarum & aliarum litterarum Apoſtolicarum ſuper huiuſmodi exemptionibus , libertatibus, priuilegiis , immunitatibus , gratiis confectarum & conceſſarum permittatis, & quilibet veſtrûm permittat. Inhibemus inſuper ſub ijſdem pœnis infraſcriptis vobis omnibus & ſingulis ſupradictis , & alijs quibuſcumque tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus cuiuſcumque ſtatus , gradus, Ordinis, vel conditionis exiſtant, ne præfatis De-

Digitized by Google

minis Abbatibus, Prælatis, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Canonicis, Conuerſis, Donatis, Abbatiſſis, Prioriſſis, M*onialibus, perſonis, & Conuentibus quibuſcumque dicti Ordinis Præmonſtratenſis, contra formam & tenorem dictarum litterarum Apoſtolicarum ſuper exemptionibus, libertatibus, priuilegiis, immunitatibus, gratiis, & indulgentiis, perſonis & Conuentibus eiuſdem Ordinis, vt præmittitur, conceſſarum, moleſtetis, ſeu vexetis quouis modo, exactionando, viſitando, agitando, ſeu affligendo, citando, vel monendo, excommunicando, à diuinis ſuſpendendo, vel interdicendo, aut aliquam iuriſdictionem in eos vel eas exercendo, aut quouis alio modo in membris, rebus, & bonis eorum mobilibus, & immobilibus perturbando, ſeu offendendo, damna vel iniurias irrogando ipſis neque eiſdem perſonis, ac Conuentibus dicti Ordinis, quominùs ſupradictis exemptionibus, libertatibus, priuilegiis, immunitatibus, gratiis, & indulgentiis vti, & pacificè gaudere poſſint, & quominùs dictæ litteræ Apoſtolicæ & præſentes noſtri proceſſus debitæ executioni demandentur, omniaque & ſingula in eis contenta ſuum debitum ſortiantur effectum, impedimentum aliquod præſtetis, ſeu præſtent, aut impedientibus detis, ſeu dent Conſilium, auxilium, vel fauorem publicè vel occultè, directè vel indirectè,*

Digitized by Google

Alioquin in omnes & ſingulos dictas Abbates, Priores, Præpoſitos, Decanos, Canonicos, Conuerſos, Donatos, necnon Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, perſonas & Canonicas & Conuentus dicti Ordinis Præmonſtratenſis, vel eorum aliquem, vel earum aliquam, in eorum vel earum perſonis ac ſubditis, rebus, & bonis mobilibus & immobilibus contra formam & tenorem dictarum Apoſtolicarum litterarum, & præſentes noſtri proceſſus moleſtantes, & impedientes, moleſtantibus & impedientibus dantes Concilium, auxilium, vel fauorem publicè vel occultè, directè vel indirectè, & ſingulariter in ſingulos contradictores in hac parte, & rebelles excommunicationis: in capitula verò, ſi quæ fuerint in eis delinquentia, ſuſpenſionis à diuinis, & eorum delinquentium Eccleſias interdicti ſententias, ſex dierum canonicâ monitione poſt publicationem præſentium vobis, & etiam eiuſmodi rebellibus factam immediatè ſe-

Digitized by Google

quentium præmiſſâ ferimus in ijs ſcriptis, & etiam promulgamus. Vobis verò Reuerendis Patribus, Dominis & Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis (quibus ob Reuerentiam veſtrarum Patriarchalium, & Pontificalium dignitatum duximus deferendum) ſi contra præmiſſa vel aliquod præmiſſorum per vos, vel ſubmiſſas perſonas quouis modo ex tunc, dictâ ſex dierum Canonicâ monitione præmiſſâ, ingreſſum Eccleſiæ interdicimis in ijs ſcriptis. Si verò eiuſmodi interdictum per alios ſex dies, dictos ſex dies immediatè ſequentes ſuſtinueritis, ex nunc prout ex tunc, vos ſimili Canonicâ monitione præmiſſâ in eiſdem ſcriptis ſuſpendimus à diuinis: Verùm ſi præfatas interdicti & ſuſpenſionis ſententias per alios ſex dies, dictos duodecim dies immediatè ſequentes animis, quod abſit, ſuſtinueritis induratis, ex tunc prout ex nunc, & ex nunc prout ex tunc, eâdem Canonicâ monitione præuiâ, vos & præſertim in hac parte rebelles &

Digitized by Google

delinquentes excommunicationis ſententia innodamus. Cæterùm cum ad executionem huiuſmodi mandati Apoſtolici vlterius faciendi nequeamus quoad præſens in Romana Curia diuerſis alijs arduis negotijs præpediti perſonaliter intereſſe, idcirco vniuerſis & ſingulis dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Cantoribus, Scolaſticis, Theſaurariis, & Canonicis tam Cathedralium, quàm Collegiatarum, Parochialiumque Rectoribus Eccleſiarum, & eorum loca tenentibus, cæteriſque Præsbyteris, Vicariis, Capellanis, Curatis, & non Curatis, Clericis, Notariis, & Tabellionibus publicis vbilibet conſtitutis, & eorum cuilibet ſuper vlteriori executione huiuſmodi mandati Apoſtolici, noſtras tenore præſentium in hac parte plenariè committimus vices, donec eas ad nos duxerimus reuocandas, quoſque etiam & eorum quemlibet dictâ authoritate Apoſtolicâ requirimus & monemus primò, ſecundò, tertiò

Digitized by Google

& peremptoriè, ipſiſque nihilominùs, & eorum cuilibet in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam in ipſos, & eorum quemlibet, ſi huiuſmodi noſtris, imò veriùs Apoſtolicis mandatis non paruerint cum effectu, ex tunc pro vt ex nunc eorum dierum Canonicâ monitione præmiſsâ ferimus in ijs ſcriptis, præcipiendo mandamus quatenus viſis præſentibus, poſtquam pro parte dictorum Dominorum, perſonarum, & Conuentuum dicti Ordinis Præmonſtratenſis vigore præſentium fuerint requiſiti, ſeu aliquis eorum fuerit requiſitus, ita tamen quòd in ijs exequendis alter eorum alterum non expectet, nec vnus pro alio ſe excuſet, ad vos omnes & ſingulos ſupradictos, videlicet Dominos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, iudices, Ordinarios, & officiales, aliaſque perſonas & loca, de quibus, vbi, quando, & quoties viſum fuerit expedire, perſonaliter accedant, & quiuis eorum acce-

Digitized by Google

dat, dictaſque Litteras Apoſtolicas, & hunc noſtrum proceſſum, ac in eis contenta vobis omnibus & ſingulis ſupradictis, & aliis quibuſcunque Chriſti fidelibus communiter & diuiſim inſinuent, legant, & publicent, ac fideliter publicari & inſinuari procurent, voſque & quoſcumque alios quorum intereſt & intererit quomodolibet inſinuamus communiter & diuiſim ad parendum huiuſmodi Noſtris, imò veriùs Apoſtolicis proceſſibus, ac mandatis & monitionibus in eis contentis, ſub dictis pœnis & cenſuris moneant & requirant, & quiuis eorum moneat & requirat. Certificamus nihilominùs vos omnes & ſingulos ſupradictos & alios quoſcumque ſi eiuſmodi noſtris, imò veriùs Apoſtolicis proceſſibus, ac mandatis & monitionibus in eis contentis non paruerit, ſiue non paruerint cum effectu, pœnas, ſententias & cenſuras in eiſdem proceſſibus contentas damnabiliter, quod abſit, incurrendo ex tunc contra vos, & quoſcumque contradictores in hac parte, & rebelles, ad declarationem dictarum pœnarum, necnon ad denuntiationem quorumcumque in hac parte rebellium, excommunicatorum, ſuſpenſorum, & interdictorum procedetur, ipſorum contumaciâ ſeu abſentiâ in aliquo non obſtante; damus enim & concedimus tenore præſentium omnibus & ſingulis Subdelegatis noſtris ſupra ſcriptis plenam

Digitized by Google

licentiam & liberam poteſtatem omnes & ſingulos contradictores in hac parte & rebelles, dictas pœnas & ſententias ac cenſuras incidiſſe declarandi, ipſoſque ad hoc, ſi opus fuerit, citandi, necnon eoſdem rebelles tanquam excommunicatos, ſuſpenſos & interdictos, & ijſdem pœnis irretitos ſingulis diebus dominicis & feſtiuis, in quibuſcumque Eccleſiis infra Miſſarum ſolemnia populo ibidem ad diuina audienda congregato, campanis pulſatis, & candelis accenſis & in terram projectis, publicè denuntiandi, omniaque & ſingula in præmiſsis & circa ea faciendi, quæ noſmet, ſi perſonaliter præſentes eſſemus, facere poſſemus, & deberemus: Ita tamen quòd ijdem Subdelegati noſtri nihil in præjudicium dictorum Abbatum, Priorum, Præpoſitorum, Decanorum, Canonicorum, Conuerſorum, & Donatorum, ac Abtiſſarum, Prioriſſarum, Monialium, Perſonarum, & Conuentuum dicti Ordinis Præmonſtratenſis, ac membrorum ſubditorum, & locorum, rerum, bonorum mobilium & immobilium ad eos, & ea ſpectantium valeant attentare, nec in proceſſibus per nos habitis, & ſententijs per nos latis abſoluendo vel ſuſpendendo, aliquid immutare. Per proceſſumautem noſtrum huiuſmodi nolumus nec intendimus noſtris in aliquo præiudicare Collegis quominùs ipſi, vel eorum alter aliquis, ſeruato tamen hoc noſtro proceſſu, poſſint, ſeu poſſit in

huiuſmodi executionis negotio procedere per ſe, vel aliũ, vel alios, prout ipſis videbitur expedire. Et ſi contingat nos ſuper præmiſsis in aliquo procedere, de quo nobis poteſtatem omnimodam reſeruamus, non intendimus propter hoc commiſsionem noſtram huiuſmodi in aliquo reuocare niſi de reuocatione huiuſmodi in noſtris litteris ſpecialiter fecerimus mentionem. Mandamus etiam copiam vobis fieri de præmiſsis, petentium quidem, & habere volentium ſumptibus & expenſis. Abſolutionem verò omnium & ſingulorum, qui præfatas noſtras ſeu earum aliquam incurrerint, ſeu incurrerit, quoquo modo vobis vel ſuperioribus tantummodo reſeruamus. In quorum omnium & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras, ſiue præſens publicum inſtrumentum, hunc noſtrum proceſſum in ſe continens, ſiue continentes exinde fieri, & per Notarios publicos infra ſcriptos ſubſcribi &, publicari mandamus, noſtrique ſigilli fecimus appenſione communiri. DATVM & actum Romæ in Baſilica Beati Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe ante altare veronicæ. Sub Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo vndecimo, indictione quarta, die verò Martis vndecimâ menſis Auguſti, horâ tertiarum, vel quaſi, Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Ioannis diuinâ prouidentiâ Papæ

Digitized by Google

vigeſimi tertij prædicti anno ſecundo, preſentibus ibidem diſcretis viris magiſtris Conrado Balduini, & A. Rederico Cherpſtede, ac Ioanne de Heydem in Romana curia, necnon audientiæ contradictorum, ac ſacræ pœnitentiariæ dicti Domini noſtri Papæ Procuratoribus Clericis Caminenſis, Halber-ſtadienſis, Leodienſis Diœceſum teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et infra.

Et ego Chriſtianus de Saliua Clericus Salzeburgenſis Diœceſis, publicus Apoſtolicâ authoritate Notarius, quia prædictarum litterarum Apoſtolicarum, præſentationi, receptioni, inhibitioni, ſententiarum fulminationi, & decreto, omnibuſque aliis & ſingulis, dum ſic vt præmittitur per dictum dominum Exequutorem fierent, & agerentur, vnà cum Godfrido Connotario ſubſcripto, & teſtibus prænominatis præſens interfui, eaquæ ſic fieri vidi, & audiui, ideoque hoc præſens publicum inſtrumentum, præſentem proceſſum in ſe continens, per alium fideliter ſcriptum exinde confeci, publicaui, & in

Digitized by Google

hanc publicam formam redegi, ſignoque, & nomine meis ſolitis & conſuetis vnà cum appenſione ſigilli domini Exequutoris ſupra ſcripti, ſignaui rogatus & requiſitus, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Et ego Godfridus ButtoW Clericus Razeburgenſis Diœceſis publicus Imperiali authoritate Notarius, prædictarum litterarum Apoſtolicarum præſentationi, receptioni, inhibitioni, ſententiarum fulminationi, & decreto, omnibuſque aliis & ſingulis, dum ſic vt præmittitur per dictam dominum Exequutorem fierent & agerentur, vnà cum Chriſtiano Connotario, & teſtibus prænominatis præſens fui, atque ſic fieri vidi, & audiui, ideo hoc præſens publicam inſtrumentum, præſentem proceſſum in ſe continens, per alium fideliter ſcriptum, exinde confeci, publicaui, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque, & nomine meis ſolitis & conſuetis vnà cum appenſione ſigilli

Digitized by Google

Domini Exequutoris ſupradicti, ſignaui rogatus & requiſitus, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Idem Ioannes 23. iterum ſupradicta duo Alexandri 5. priuilegia confirmauit, explicuitque an. 1413. indulto, quod ſequitur.

Ioannes Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Abbati Præmonſtratenſi, Laudunenſis Diœceſis, & aliorum Monaſteriorum & locorum Præmonſtratenſis Ordinis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Canonicis, Conuerſis, Donatis, ac dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſis, Prioriſſis, Monialibus & Conuentibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Habentes in deſideriis vt Ordo veſter eiuſque Monaſteria, & alia loca, continuis proficiant incrementis, expedit, ſi contrarium ſentiamus accidere, quòd curemus eiſdem condignæ prouiſionis ſubſidium adhibere. Dudum ſiquidem fœlicis recordationis Alexander Papa quintus prædeceſſor noſter, nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, Monaſterium Præmonſtratenſe Laudunenſis Diœceſis, & alia Monaſteria & loca eiuſdem Ordinis cum omnibus membris, Curtibus, Grangiis, domibus, poſſeſſionibus eorundem Monaſteriorum, & lo-

Digitized by Google

corum, & perſonis degentibus in eiſdem, necnon bonis mobilibus & immobilibus atque aliis rebus quibuſcunque, quæ tunc poſsidebatis, & quæ in futurum, dante Domino, poſſetis iuſtis titulis adipiſci, Necnon Eccleſias & alia loca ab eiuſdem Monaſteriis *dependentia, ab omni ſuperioritate, dominio, Iuriſdictione, necnon viſitatione quorumcunque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Iudicum, Ordinariorum, ac Officialium Eccleſiaſticorum, plenariè, cum infra ſcripta modificatione, exemit & totaliter liberauit. Ita quòd Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Iudices, Ordinarij, & Officiales prædicti, etiam ratione delicti, aut contractus, vel rei de qua agi contingeret, vbicunque committeretur delictum, iniretur contractus, aut res ipſa conſiſteret, non poſſent authoritate ordinariâ in vos, necnon* Conuentus, *perſonas,* Monaſteria, *Prioratus, membra, Eccleſias & loca huiuſmodi, vtpote prorſus exempta, excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententias promulgare, aut poteſtatem, dominium, ſeu Iuriſdictionem aliquam exercere, Ita tamen quòd per huiuſmodi exemptionem & alia ſupradicta, quoad procurationes in eiſdem locis ſeu Eccleſiis* Monaſteriorum *& membrorum prædictorum recipi conſuetas, & quoad Iuriſdictionem omnimodam in*

Parochialibus

Parochialibus Eccleſiis, quantum ad ea, quæ curam animarum concernunt, etiamſi cura huiuſmodi per Canonicos *dicti Ordinis exerceri conſueuiſſet, Diœceſanis locorum, & quibuſuis aliis nullum præiudicium generaretur, per quaſdam. Et deinde per eumdem Alexandrum prædeceſſorem, accepto quod nonnulli de ipſa modificatione diſceptantes Diœceſanos prædictos, nedum in* Canonicos *Monaſteriorum ſeu locorum prædictorum, qui pro tempore curam animarum exercerent, & Eccleſias ſeu loca regerent antedicta, ratione curæ huiuſmodi Iuriſdictionem, poteſtatem, dominium habere: Verùm etiam in vos, necnon* Mo*naſteria, Prioratus, membra,* Eccl*eſias, & loca prædicta, quoad certas procurationes & alia Iuriſdictionalia præſtanda, ipsâ exemptione non obſtante, eiſdem Diœceſanis ſubeſſe prætenderent: prædictus Alexander prædeceſſor ad omne huiuſmodi ambiguitatis tollendum dubium in præmiſſis, quod ipſi* Canonici *qui curam exercerent ac* Eccl*eſias ſeu loca huiuſmodi regerent, pro tempore, Diœceſanis aut aliis locorum* Or*dinariis huiuſmodi, quoad exercitium prædictæ curæ animarum duntaxat ſubeſſe, ac ratione dictarum* E*ccleſiarum* E*piſcopalia iura ſoluere, aliaque ipſarum* Eccl*eſiarum onera ſupportare, & pro illis reſpondere tenerentur: voſque, nec-*

corum, & perſonis degentibus in eiſdem, necnon bonis mobilibus & immobilibus atque aliis rebus quibuſcunque, quæ tunc poſsidebatis, & quæ in futurum, dante Domino, poſſetis iuſtis titulis adipiſci, Necnon Eccleſias & alia loca ab eiuſdem Monaſteriis *dependentia, ab omni ſuperioritate, dominio, Iuriſdictione, necnon viſitatione quorumcunque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Iudicum, Ordinariorum, ac Officialium Eccleſiaſticorum, plenariè, cum infra ſcripta modificatione, exemit & totaliter liberauit. Ita quòd Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Iudices, Ordinarij, & Officiales prædicti, etiam ratione delicti, aut contractus, vel rei de qua agi contingeret, vbicunque committeretur delictum, iniretur contractus, aut res ipſa conſiſteret, non poſſent authoritate ordinariâ in vos, necnon* Conuentus, *perſonas,* Monaſteria, *Prioratus, membra, Eccleſias & loca huiuſmodi, vtpote prorſus exempta, excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententias promulgare, aut poteſtatem, dominium, ſeu Iuriſdictionem aliquam exercere, Ita tamen quòd per huiuſmodi exemptionem & alia ſupradicta, quoad procurationes in eiſdem locis ſeu Eccleſiis* Monaſteriorum *& membrorum prædictorum recipi conſuetas, & quoad Iuriſdictionem omnimodam in*

Parochialibus

Parochialibus Eccleſiis, quantum ad ea, quæ curam animarum concernunt, etiamſi cura huiuſmodi per Canonicos *dicti* Ordinis *exerceri conſueuiſſet, Diœceſanis locorum, & quibuſuis aliis nullum præiudicium generaretur, per quaſdam. Et deinde per eumdem Alexandrum prædeceſſorem, accepto quod nonnulli de ipſa modificatione diſceptantes Diœceſanos prædictos, nedum in* Canonicos *Monaſteriorum ſeu locorum prædictorum, qui pro tempore curam animarum exercerent, & Eccleſias ſeu loca regerent antedicta, ratione curæ huiuſmodi Iuriſdictionem, poteſtatem, dominium habere: Verùm etiam in vos, necnon* Mo*naſteria, Prioratus, membra, Eccleſias, & loca prædicta, quoad certas procurationes & alia Iuriſdictionalia præſtanda, ipsâ exemptione non obſtante, eiſdem Diœceſanis ſubeſſe prætenderent: prædictus Alexander prædeceſſor ad omne huiuſmodi ambiguitatis tollendum dubium in præmiſſis, quod ipſi Canonici qui curam exercerent ac Eccleſias ſeu loca huiuſmodi regerent, pro tempore, Diœceſanis aut aliis locorum Ordinariis huiuſmodi, quoad exercitium prædictæ curæ animarum duntaxat ſubeſſe, ac ratione dictarum Eccleſiarum Epiſcopalia iura ſoluere, aliaque ipſarum Eccleſiarum onera ſupportare, & pro illis reſpondere tenerentur: voſque, nec-*

non Conuentus, perſonas, Monaſteria, Prioratus, membra, Eccleſias, & loca præfata à præſtatione procurationum, aut aliorum Iuriſdictionalium quorumcunque, necnon Iuriſdictione, poteſtate, & dominio præfatis liberos & immunes exiſtere, per alias ſuas litteras declarauit, prout in ipſis litteris plenius continetur. Cùm autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, nonnulli ex Diœceſanis & Ordinariis prædictis, vos, Abbates, Priores, Præpoſitos, & Decanos, ad comparendum coram eis in Synodis ipſorum authoritate ordinaria citare ſeu vocare poſt, & contra litteras antedictas de facto præſumpſerint, & præſumant, in veſtrorum Abbatum, Priorum, Præpoſitorum & Decanorum non modicum præiudicium & grauamen, & propterea inter aliquos ex eiſdem Diœceſanis & Ordinariis ex vna parte, & quoſdam ex vobis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, & Decanis ex altera ortæ fuerint, & adhuc pendeant indeciſæ diuerſæ lites ſeu materiæ quæſtionum, pro parte veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, vt ſuper hoc vobis & eidem Ordini opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque attendentes quod ex prorogatione huiuſmodi litium, vos magnis expenſarum oneribus & grauaminum inſurgant, etiam propterea inter

Digitized by Google

vos ac eoſdem Diœceſanos & locorum Ordinarios fomites odiorum nutriantur, hinc inde rancores, vnde poſſint (quod abſit) varia ſcandala pullulare, ac volentes veſtris & eorumdem Diœceſanorum & locorum Ordinariorum diſpendiis præcauere, ac veſtræ quieti conſulere, in hac parte huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus & Apoſtolica authoritate vobis præſentium tenore ex abundanti cautela concedimus, quod niſi Canonici Ordinis veſtri, qui huiuſmodi curam animarum earumdem Parochialium Eccleſiarum exercebunt, pro tempore præſentes, & poſteri ipſarum Eccleſiarum, quas actu regunt, & illarum etiam quas eos gubernare contigerit, per ipſos Diœceſanos, & alios Ordinarios exiſtentes pro tempore vocari, aut citari debeant ad ipſas Synodos: antedicti Abbates, Priores, Præpoſiti, & alij Prælati, quos per eoſdem Diœceſanos, & alios Ordinarios forſan citari aut vocari contigerit, coram eis, ſeu in ipſis Synodis comparere minimè teneantur; nec ad id compelli poſſint inuiti. Decernentes irritos & inanes omnes proceſſus ac excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententias, ſi quos aut ſi quas per ipſos Diœceſanos & Ordinarios in contrarium forſan promulgari contigerit, vel haberi, prædictis litibus aut conſtitutionibus Apoſtolicis & aliis contrariis non obſtantibus

quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, conceſſionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. DATVM Romæ apud Sanctum Petrum quinto Calendas Maij, Pontificatus noſtri Anno tertio.

Idem Ioannes 23. hoc ſuum poſterius indultum confirmauit indulto ſequenti.

[Ioannes Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis ſanctæ Genouefæ Pariſienſis, & ſancti Iacobi Leodienſis, ac West-Monaſterij Londonienſis Diœceſis Monaſteriorum Abbatibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Nuper dilectis filiis Præmonſtratenſi, Laudunenſis Diœceſis, & aliorum Monaſteriorum ac locorum Præmonſtratenſis Ordinis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Canonicis, Conuerſis, Donatis, ac dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſis, Prioriſſis, Monialibus & Conuentibus literas noſtras conceſſimus in hæc verba. Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Præmonſtratenſis, Laudunenſis Diœceſis, & aliorum Monaſteriorum &

locorum Præmonſtratenſis Ordinis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Canonicis, Conuerſis, Donatis, ac dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſis, Prioriſſis, Monialibus, & Conuentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Habentes in deſideriis vt Ordo veſter, eiuſque Monaſteria, & alia loca continuis proficiant incrementis, expedit, ſi contrarium ſentiamus accidere, quod curemus eiſdem condignæ prouiſionis ſubſidium adhibere. Dudum ſiquidem fœlicis recordationis Alexander Papa quintus prædeceſſor noſter nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, &c. prout iacent in præcedenti proxima Bulla pagina 191. Nos igitur cupientes quòd dictæ litteræ debitum ſortiantur effectum, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrûm, per vos, aut alium, ſeu alios, eiſdem Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Canonicis, Conuerſis, & Donatis, necnon Abbatiſſis, Prioriſſis, Monialibus, & Conuentibus, authoritate Apoſtolica circa contenta in eiſdem litteris, efficacis deffenſionis auxilio aſſiſten-

Digitized by Google

tes, non permittatis ipſos contra earumdem litterarum tenorem à quoquam quauis authoritate quomodolibet moleſtari, Contradictores authoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, non obſtante ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. DATVM Romæ apud ſanctum Petrum quinto Calend. Maij, Pontificatus noſtri Anno tertio.]

Anno 1433. Noſtri Belli-portus in Britannia minori Canonici, dictorum Alexandri V. priuilegiorum tranſſumpta, quibus indigebant, ab Eugenio 4. petiere; quæ obtinuerunt, vt ſequitur.

[Eugenius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Prouiſionis noſtræ debet prouenire ſubſidio, vt ius ſuum cuilibet conſeruetur. Hinc eſt quod nos tenores quarumdam litterarum quondam Alexandri in ſua obedientia, de quâ Laudunenſis & Briocenſis Ciuitates & Diœceſes erant, tunc quinti nuncupati, in ipſius regeſtro reper-

tos, pro eo quod, ſicut exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Abbatis & Conuentus Monaſterij Beatæ Mariæ Belli-portus, Præmonſtratenſis Ordinis, Briocenſis Diœceſis, petitio continebat, præfatis tenoribus indigere noſcuntur, de dicto regeſtro de verbo ad verbum tranſcribi, & ad eorumdem Abbatis & Conuentus ſupplicationis inſtantiam præſentibus annotari fecimus, qui tales ſunt. Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Excitat noſtræ mentis arcanum ſpecialis affectio, &c. *vt ſuprà pag.* 167. Item Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram, &c. *vt ſuprà pag. 171.* Ceterùm vt earumdem litterarum tenores prædicti ſic inſerti omnimodam *rei*, ſeu *facti* certitudinem faciant, authoritate Apoſtolica decernimus, quòd illud idem robur, eamque vim, eumdemque vigorem dicti tenores per omnia habeant, quę haberent originales litteræ ſupradictæ, & eadem prorſus ipſis tenoribus fides adhibeatur, quandocumque & vbicumque in iudicio, vel alibi, vbi fuerint exhibitæ vel oſtenſæ, ac eiſdem ſtetur firmiter in omnibus, ſicuti dictis originalibus litteris ſta-

Digitized by Google

retur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Per hoc autem nullum ius de nouo cuiquam acquiri volumus, ſed antiquum, ſi quod habeat, tantummodo conſeruari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. DATVM Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominicę milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio, Vndecimo Calendas Ianuarij, Pontificatus noſtri Anno tertio.]

Idem Eugenius 4. eodem an. 1433. iiſdem Monaſterij Belli-portus Canonicis poſtulantibus, tranſſumptum priuilegij Ioannis 23. vtrumque Alexandi V. priuilegium confirmantis, quo ſe indigere expoſuerant, conceſſit, vt ſequitur.

[Eugenius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Prouiſionis noſtræ debet prouenire ſubſidio, vt ius ſuum cuilibet conſeruetur. Hinc eſt quod nos tenores quarumdam litterarum bonæ memoriæ Baldaſſaris Epiſcopi Tuſ-

culanenſis, in ſua obedientia, de quâ Laudunenſis, necnon Briocenſis Ciuitates & Diœceſes erant, tunc Ioannis 23. nuncapati, in ipſius regeſtro repertos, pro eo quod, ſicut exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Abbatis & Conuentus Monaſterij B. Mariæ Belli-portus, Præmonſtratenſis Ordinis, dictæ Briocenſis Diœceſis, petitio continebat, ipſi præfatis tenoribus indigere noſcuntur, de dicto regeſtro de verbo ad verbum tranſcribi, & ad eorumdem Abbatis & Conuentus ſupplicationis inſtantiam præſentibus annotari fecimus, qui tales ſunt. Ioannes Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis ſanctę Genouefę Pariſienſis, & Weſt-Monaſterij Londonienſis Monaſteriorum Abbatibus, ac Decano Eccleſiæ ſancti Georgij Colonienſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dudum ſiquidem fœlicis recordationis Alexander Papa V. Prædeceſſor noſter, dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Canonicis, Conuerſis, Donatis, & dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſis, Prioriſſis, monialibus, & Conuentibus Monaſteriorum & locorum Præmonſtratenſis Ordinis, litteras ſuas conceſſit in hæc verba, &c.

vt ſuprà pag. 175. Cæterùm vt earumdem litterarum tenores prædicti ſic inſerti om-modam *rei* ſeu *facti* certitudinẽ faciant, authoritate Apoſtolica decernimus, vt illud idem robur, eamque vim, eumdemq; vigorem dicti tenores per omnia habeant, quẽ haberent originales litteræ ſupradictæ, & eadem proſus ipſis tenoribus fides adhibeatur, quandocumque & vbicumque in iudicio vel alibi, vbi fuerint exhibiti, vel oſtenſi, ac eiſdem ſtetur firmiter in omnibus, ſicuti dictis originalibus litteris ſtaretur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Per hoc autem nullum ius de nouo cuiquam acquiri volumus, ſed antiquum, ſi quod ſit, tantummodo conſeruari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. DATVM Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio, vndecimo Calendas Ianuarij, Pontificatus noſtri anno tertio.]

Tranſſumptum ſimiliter prioris priuile-

Digitized by Google

gij Alexandri V. Sacro-ſancta generalis Synodus Baſileenſis, à noſtris humiliter rogata conceſſit an. 1435. poſtquam anno præcedenti libertates, & immunitates omnes Ordini Præmonſtratenſi per ſummos Pontifices conceſſas confirmauerat authoritate Vniuerſalis Eccleſiæ.

[Sacro ſancta generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, Dilectis Eccleſiæ filiis Abbati Monaſterij Præmonſtratenſis, Laudunenſis Diœceſis, cæteriſque Coabbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Canonicis & Conuentibus vniuerſis Monaſteriorum, & locorum Ordinis Præmonſtratenſis vbilibet conſiſtentibus, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem. Cùm à nobis petitur quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per miniſterium noſtrum, quo vniuerſali Eccleſiæ afficimur, ad debitum perducatur effectum. Sanè pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus vobis & Eccleſiis & Monaſteriis veſtris, ſuper priuilegiis, Indulgentiis, exemptionibus, bonis, libertatibus, immunitatibus & conſuetudinibus

honeſtis & præſcriptis, dudum vobis conceſſis, vt illibata permaneant, robur noſtræ confirmationis, approbationis, & renouationis adiicere, de benignitate noſtra dignaremur. Nos igitur, qui pro tuitione & defenſione Eccleſiarum, Monaſteriorum, bonorum, & conſuetudinum laudabilium, ac perſonarum Eccleſiaſticarum, ſignanter religioſarum, feruenter laboramus; huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnes libertates, gratias, immunitates, prærogatiuas, conſuetudines laudabiles, & præſcriptas, indulgentias, exemptiones, bona, Priuiuilegia, & Indulta, à Romanis Pontificibus, per Apoſtolicas aut quaſcumque alias litteras, vobis, & Eccleſiis ac Monaſteriis veſtris prædictis conceſſas & conceſſa; necnon libertates, & conſuetudines laudabiles, exemptiones, & ſaluagardias ſecularium exactionum à quibuſcumque diuis Imperatoribus, Regibus, Principibus, vel aliis Chriſti fidelibus, vobis, & eiſdem veſtris Eccleſiis, ac Monaſteriis indultas, datas, & conceſſas, tenores omnium habentes præſentibus pro expreſſis, ſicut ea iuſtè & pacificè poſſidetis, vobis & eiſdem veſtris Eccleſiis ac Monaſteriis, authori-

Digitized by Google

tate vniuerſalis Eccleſiæ confirmamus, illaſque, & ea renouamus, approbamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, renouationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & vniuerſalis Eccleſiæ ſe nouerit incurſurum. DATVM Baſileæ tertio Nonas Decembris Annno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quarto.]

[Sacro-ſancta generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans; ad futuram rei memoriam. Prouiſionis noſtræ debet prouenire ſubſidio, vt ius ſuum cuilibet conſeruetur. Sanè pro parte dilectorum Eccleſiæ filiorũ Abbatum, Prælatorum, Priorũ, Præpoſitorum, Decanorũ, Canonicorum, Conuerſorum, Donatorum, & Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Monialium, Conuentuum, & perſonarum, Monaſteriorum Præmonſtratenſis Ordinis nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt litterarum fœlicis recordationis Alexandri Papæ V. quas in Cancellaria noſtra, ad

ipſorum inſtantiam diligenter inſpici fecimus, tenorem, quo ſe aſſerunt indigere, de verbo ad verbum præſentibus annotari faceremus, qui talis eſt. Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Excitat mentis noſtrę arcanum ſpecialis affectio &c. vt ſupra pag. 167. Cæterùm vt tenor prædictus hîc inſertus omnimodam *rei* ſeu *facti* certitudinem faciat, authoritate vniuerſalis Eccleſiæ decernimus, vt idem robur, eandemq; vim dictus tenor per omnia habeat, quæ haberent originales litteræ, & eadem prorſus fides ipſi tenori adhibeatur quandocunque & vbicunque in iudicio vel alibi fuerit exhibitus vel oſtenſus, & eidem ſtetur, ſicut ipſis originalibus ſtaretur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Per hoc autem nullum ius de nouo alicui acquiri volumus, ſed antiquum, ſi quod habeat, tantummodo conſeruari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationē omnipotentis Dei & vniuerſalis Eccleſiæ ſe nouerit incurſurum. DATVM Baſileæ octauo Calendas Iunij, Anno à natiuitate

Digitized by Google

Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto.]

Ex hoc Alexandri V. priuilegio, triplici ſententiâ iudicatum eſt ab Eugenio IV. eiuſque deputatis, in fauorem Canonicorũ noſtrorum Monaſterij Belli-portûs in Britannia minore aduersùs Epiſcopum Brioceſem anno 1436. vt ſequitur.

[Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Beatæ Mariæ de Begar Trecorenſis, & Beatæ Mariæ de Langonio Coriſopitenſis diœceſis Monaſteriorum Abbatibus, ac Archidiacono Hannoniæ in Eccleſia Leodienſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Abbatis & Conuentus Monaſterij beatę Marię Belli-portûs Præmonſtratenſis Ordinis, Briocenſis diœceſis, petitio continebat, quòd licet dictum Monaſterium cum omnibus & ſingulis ſuis membris, & ab ipſo dependentibus Eccleſiis, necnon eius Abbas pro tempore exiſtens, Canonici, Conuerſi, & Donati ab omni juriſdictione, ſuperioritate, correctione, punitione, viſitatione & dominio Epiſcoporum Briocenſium pro tempore exiſtentium, per ſpeciale Sedis Apoſtolicæ priuilegium, cui non eſt in

aliquo derogatum penitus ſunt exempta, libera & immunia, necnon eidem Sedi immediatè ſubjecta; fuiſſentque Monaſterium, Abbas, Canonici, Conuerſi, & Donati cum membris & Eccleſijs huiuſmodi in pacifica poſſeſſione, vel quaſi, exemptionis, libertatis, & immunitatis prædictarum à tempore conceſſionis priuilegij præfati, & etiam cuius contrarij memoria non exiſtit, ſaluis in infraſcriptis caſibus: videlicet quòd ipſi Canonici curam animarum in dictis Eccleſiis pro tempore exercentes, ac illas regentes, præfatis Epiſcopis ratione exercitij curæ huiuſmodi ſubeſſe, viſitationes ſuſcipere, procurationes ſolitas, & Epiſcopalia jura ſoluere, ac alia ipſarum Eccleſiarum onera ſupportare; necnon in Synodis comparere, ac ibidem reſpondere duntaxat aſtricti ſint: & propterea in aliis ipſi Abbas, Canonici, Conuerſi, & Donati, ad parendum Epiſcopis Briocenſibus, ac eorum monitionibus & præceptis, tanquam Ordinariis & ſuperioribus, ac ad ſoluendum procurationes, vel alia iura Epiſcopalia, necnon ire ad Synodos, ac coram ipſis Epiſcopis ex officio contra eos procedentibus, ſiue ad inſtantiam perſonarum de ipſis conquerentium
comparere

comparere minimè teneantur. Tamen venerabilis frater noſter Herueus Epiſcopus Briocenſis minùs veraciter prætendens Monaſterium, necnon Abbatem, Canonicos, Conuerſos, & Donatos, huiuſmodi ſibi, ac eius iuriſdictioni ordinariæ in omnibus fore ſubiectos, & ſuper illis Abbati, & Conuentui prædictis contra juſtitiam ſe opponens, eos deſuper multipliciter moleſtauit, vexauit, & turbauit, & etiam impediuit; ortaque propterea inter Epiſcopũ ex vna, necnon Abbatem & Conuentum prædictos ex altera partibus ſuper præmiſſis, ac illorum occaſione materia quæſtionis. Nos cauſam huiuſmodi, non obſtante quòd de ſui natura ad Romanam Curiam legitimè deuoluta, ac apud eam tractanda & finienda non eſſet, quondam Petro Nardy Capellano noſtro, & cauſarum palatij Apoſtolici Auditori ad inſtantiam dictorum Abbatis & Conuentus audiendam commiſimus, & fine debito terminandam, qui cognitis illius meritis, de conſilio & aſſenſu Coauditorum cauſarum dicti palatij, quibus ſuper his relationem fecit fidelem, per ſuam definitiuam ſententiam pronuntiauit, decreuit, & declarauit, prout hæc omnia in libello pro parte ipſo-

rum Abbatis & Conuentus in dicta cauſa exhibito petita fuerant, Monaſterium, Abbatem, Canonicos, Conuerſos, & Donatos huiuſmodi *à juriſdictione, ſuperioritate, correctione, punitione, viſitatione, & dominio prædictis*, præterquam quoad caſus præmiſſos, *fuiſſe & eſſe exempta, libera, & immunia: necnon ipſos Abbatem & Canonicos, Conuerſos & Donatos aliàs ad parendum Epiſcopis, eorumque monitionibus, & præceptis prædictis, ac eiſdem Epiſcopis procurationes, & jura huiuſmodi ſoluere, vel ad Synodum ire, aut coram ipſis reſpondere minimè fore obligatos: ac dictis Epiſcopis juriſdictionem, ſuperioritatem, ſiue dominium aliquod in Monaſterium, Abbatem, Canonicos, Conuerſos, Donatos, Membra, & Eccleſias huiuſmodi aliàs de cætero exercere nullatenus licere. Oppoſitiones quoque & moleſtationes, vexationes, perturbationes, & impedimenta prædicta fuiſſe & eſſe temeraria, indebita, illicita, iniqua, iniuſta, ac de facto præſumpta. Necnon præfato Epiſcopo ſuper illis, ac dictis ſuperioritate, juriſdictione, correctione, punitione, viſitatione, procuratione, & dominio,* aliàs quàm ſuperiùs expreſſum eſt, *perpetuum ſilentium imponendum fore, & impoſuit, ac ipſum Epiſcopum in expenſis coram eo in ejuſmodi cauſa legitimè factis condemnandum fore,*

& condemnauit, illarum taxatione ſibi inpoſterum reſeruatâ. Aqua quidem ſententia fuit pro parte dicti Epiſcopi ad Sedem prędictam appellatum: Noſque cauſam appellationis huiuſmodi dilecto filio Magiſtro Petro Martini de Caueis Rubeis Capellano noſtro, & Auditori cauſarum eiuſdem palatii audiendam commiſimus, & fine debito terminandam; qui cognitis illius meritis, de conſilio & aſſenſu Coauditorũ ſuorum cauſarum dicti palatij, quibus ſuper his relationem fecit fidelem, per ſuam definitiuam ſententiam pronuntiauit, decreuit, & declarauit per præfatum Petrum Nardy Auditorem in cauſa huiuſmodi bene fuiſſe & eſſe proceſſum, ſententiatum & definitum, eiuſque ſententiam prædictam confirmandam fore *& confirmauit: ac ab illa pro parte dicti Epiſcopi male fuiße, & eſſe appellatum*: necnon eundem Epiſcopum inexpenſis coram eo in huiuſmodi cauſa legitimè factis condemnandum fore, & condemnauit, illarum taxatione ſibi in poſterum reſeruatâ. Cúmque à ſententia Petri Martini Auditoris huiuſmodi fuiſſet pro parte dicti Epiſcopi ad Sedem appellatum, eandem nos cauſam ipſius vltimæ appellationis dilectis filiis

Digitized by Google

Magiſtris Laurentio de Aretio primò, & deinde ex certis cauſis Roberto de Caualcantibus Capellanis noſtris, & Auditoribus cauſarum eiuſdem palatii audiendam commiſimus, & fine debito terminandam: ipſeque Robertus Auditor cognitis illius meritis, de conſilio & aſſenſu Coauditorũ ſuorum cauſarum dicti palatii, quibus ſuper his relationem fecit fidelem, per ſuam definitiuam ſententiam pronuntiauit, decreuit, & declarauit per præfatum Petrum Martini Auditorem *in cauſa huiuſmodi bene fuiſſe & eſſe proceſſum*, *ſententiatum*, *& definitum*, eiuſque ſententiam prædictam confirmandam fore, *& confirmauit*, *ac ab illa pro parte dicti Epiſcopi male fuiſſe & eſſe appellatum*: ac eundem Epiſcopum in expenſis coram eo in eiuſmodi cauſa legitimè factis condemnandum fore, & condemnauit, illarum taxatione ſibi in poſterum reſeruatâ. Et ſubſequenter Petrus Martini in triginta duobus, ac Robertus Auditores præfati etiam triginta duobus, necnon dilectus filius Magiſter Willielmus Bout Capellanus noſter, & cauſarum dicti palatii Auditor, cui ex certis cauſis commiſimus, vt coram eodem Petro Nardy Auditore taxaret coram illo in ſeptuaginta florenis

auri de camera, boni & iuſti põderis, factas expenſas huiuſmodi prouidis moderationibus taxarunt, procuratoris ipſorum Abbatis, & Conuentus ſuper expreſſis eiſdem Iuramentis ſequutis, prout in inſtrumentis publicis inde confectis ipſorum Petri Nardy, Petri Martini, Roberti, & Willielmi Auditorum ſigillis munitis dicitur pleniùs contineri. Cùm autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat, Abbas & Conuentus prædicti dubitent, quòd præfatus Epiſcopus ſententiis præmiſſis, & præſentium vigore habendis proceſſibus reuerenter parere non velit, quódque illi Epiſcopo præfato propter eius potentiam, & aliis quos concernent, tutè nequeant publicari; pro parte Abbatis & Conuentus prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt eis ſuper his de opportuno remedio prouidere dignaremur. Nos itaque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrûm, per vos, vel alium, ſeu alios præmiſſa vbi, & quando expedire videritis authoritate noſtrâ ſolemniter publicantes, necnon Monaſterium, Abbatem, Canonicos, Conuerſos, Donatos, cum membris, &

Eccleſiis huiuſmodi à iuriſdictione, ſuperioritate, correctione, punitione, viſitatione, & dominio præmiſſis, aliàs quàm in caſibus prædictis, *exempta, libera, & immunia fore nuntiantes*, non permittatis Abbatem, Canonicos, Conuerſos, & Donatos prædictos, vel aliquem ex eis, etiam quoad Monaſterium, membra, & Eccleſias huiuſmodi, ab Epiſcopis Briocenſibus pro tempore exiſtentibus, vel ipſorum aliquo contra *exemptionem, libertatem, & immunitatem prædictas, ipſarumque ſententiarum effectum impeti indebitè, vel quomodolibet moleſtari*: facientes Abbati & Conuentui prædictis de florenorum ſummis pro expenſis huiuſmodi iuxta præfatorum inſtrumentorum earundem cōdemnationum, & taxationum, tenores, plenam & debitam ſatisfactionem impendi, & inſuper legitimis ſuper his per vos habendis ſeruatis proceſſibus, eos quoties expedierit aggrauare curetis, contradictores authoritate noſtrâ, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, inuocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis. Cæterùm ſi per ſummariam informationem ſuper his per vos recipiendam vobis conſtiterit quod ipſius Epiſcopi & aliorum, quos huiuſmodi pro-

ceſſus concernent, præſentia pro monitionibus eis, & citationibus de ipſis faciendis commodè nequeat haberi, nos vobis proceſſus, monitiones, & citationes huiuſmodi per edicta publica locis affigenda publicis, partibus illis vicinis, de quibus ſit veriſimilis coniectura, quòd ad notitiam monitorum & citatorum huiuſmodi peruenire valeant, faciendi plenam concedimus tenore pręſentium facultatem: & volumus quòd huiuſmodi proceſſus, monitiones, & citationes perinde eoſdem monitos & citatos extent, ac ſi eis intimati & inſinuati perſonaliter & pręſentialiter legitimè extitiſſent, nonobſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis quibuſcumque, ſeu ſi eidem Epiſcopo, vel quibuſuis aliis communiter, vel diuiſim à dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. DATVM Bononię anno Incarnationis Dominicę 1436. 10. Calendas Iulij, Pontificatus noſtri anno ſexto.]

Ex hoc ſimiliter Alexandri V. priuile-

Digitized by Google

gio Iudicatum eſt à Concilio Baſileenſi, eiuſque deputatis, in fauorem Canonicorum noſtrorum Monaſterij S. Ioannis Ambianenſis, aduersùs Epiſcopum Ambianenſem an. 1437. vt ſequitur.

[Sacro-ſancta generalis Synodus Baſileenſis in Spiritu ſancto legitimè congregata, Vniuerſalem Eccleſiam repreſentans, Venerabilibus Albingenſibus & Atrebatenſibus Epiſcopis, ac dilecto Eccleſiæ filio Abbati ſancti Vedaſti Atrebatenſis ſalutem, & omnipotentis Dei benedictionem. Exhibita nobis pro parte dilectorum Eccleſiæ filiorum Abbatis, & Conuentus Monaſterij ſancti Ioannis extra muros Ambianenſes, Præmonſtratenſis Ordinis, petitio continebat, quod licet olim Præmonſtratenſis, Laudunenſis Diœceſis, & quorumcumque dicti Ordinis Monaſteriorum Abbates, Conuentus, ſingulique Canonici, & perſonæ *à viſitatione, omnique alia ſuperioritate, poteſtate, & iuriſdictione quorumcumque Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum & aliorum Ordinariorum, ac illorum Officialium per ſpeciale Sedis Apoſtolicæ priuilegium, cui non eſt in aliquo derogatum, fuiſſent exempti, ac eidem Sedi immediatè ſubiecti, Ita quòd Archeipiſcopi, Epiſcopi, &*

Ordinarij , ſeu Officiales ipſi nequeant in eos viſitationem , ſeu aliam ſuperioritatem , poteſtatem , ſeu Iuriſdictionem exercere : necnon præfati Abbas & Conuentus ipſius Monaſterij ſancti Ioannis, ac qui ſunt, ac fuerunt pro tempore Canonici eiuſdem, extitiſſent in poſſeſſione pacifica, vel quaſi juris gaudendi , vel vtendi libertate exemptionis huiuſmodi à tempore conceſſionis priuilegij antedicti ; tamen nuper venerabilis Ioannes Promorinenſis tunc pro Ambianenſi Epiſcopo ſe gerens , & prætendens ſibi in Abbatem , Conuentum , & Canonicos Monaſterij ſancti Ioannis huiuſmodi viſitationis officium competere , ſeque in ipſos omnimodam ſuperioritatem , poteſtatem , & iuriſdictionem ordinariam habere, ac priuilegio huiuſmodi contra iuſtitiam ſe opponens impediuit , ac impedit , fecit , & facit, quominus Abbas, Conuentus, & Canonici Monaſterij ſancti Ioannis præfati libertate exemptionis huiuſmodi vti & gaudere pacificè potuerint , atque poſſint ; ipſoſque Abbatem , Canonicos, & Conuentum Monaſterij ſancti Ioannis per ſuum Officialem & procuratorem viſitare, & procurationes ratione viſitatio-

Digitized by Google

nis huiuſmodi ab eis in pecunia numerata exigere, niſus fuit eos deſuper & aliàs occaſione præmiſſorum multipliciter vexando, & etiam moleſtando: ortáque propterea inter Abbatem & Conuentum dicti Monaſterij ſancti Ioannis, ac Ioannem Epiſcopum præfatos ſuper præmiſſis, & eorum occaſione materia quæſtionis. Nos causã huiuſmodi,nonobſtando quòd ad nos legitimè deuoluta, ſeu coram nobis de iuris neceſſitate tractanda & finienda non eſſet. Venerabili Guillelmo Epiſcopo Bellicenſi pro tunc apud nos Baſileæ conſtituto, ad Abbatis & Conuentus Monaſterij S. Ioannis prędictorum inſtantiam primò: & deinde ex certis cauſis quibuſdam aliis cauſarum audientię noſtrę Iudicibus ſucceſſiuè: & poſtremò dilecto Eccleſiæ filio Mattheo Nithart Canonico Friſinizenſi decretorum Doctori, vni ex iudicibus cauſarum eiuſdem audientiæ audiendam commiſimus, & fine debito terminandam: ipſeque Matthæus Canonicus cognitis huius cauſæ meritis, de conſilio & aſſenſu aliorum Coniudicum ſuorum cauſarum dictæ audientiæ, quibus ſuper iis relationem fecit fidelem, *per ſuam definitiuam ſententiam pronuntiauit*, *decreuit*,

& declarauit, provt hæc omnia in libello pro parte dictorum Abbatis, & Conuentus Monaſterij ſancti Ioannis in huiuſmodi cauſa oblato, petita fuerant, *Abbatem, Canonicos, & Conuentum Monaſterij ſancti Ioannis prædictos ab omni viſitatione, ſuperioritate, poteſtate, & iuriſdictione Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Ordinariorum, ac eorum Officialium huiuſmodi liberos ac exemptos, & Sedi prædictæ immediatè ſubiectos fuiſſe & eſſe: necnon oppoſitiones, moleſtationes, vexationes, & impedimenta prædicta fuiſſe & eſſe temeraria, illicita, iniqua, iniuſta, & de facto præſumpta, ac Ioanni Epiſcopo, & illius Officiali, ſeu procuratori prædictis illa facere minimè licuiſſe, ſeu licere; ipſiſque Ioanni Epiſcopo ac Officiali, ſeu procuratori ſuper viſitatione, ac viſitationum exactione huiuſmodi perpetuum ſilentium imponendum fore, & impoſuit: necnon eumdem Epiſcopum Ioannem in expenſis in eiuſmodi cauſa legitimè factis, condemnandum fore, & condemnauit*, illarum taxatione ſibi in poſterum reſeruatâ. Et ſubſequenter Matthæus Canonicus præfatus expenſas huiuſmodi in quinquaginta florenos Renenſes boni auri & iuſti ponderis prouidâ moderatione taxauit, procuratoris Abbatis & Conuentus Mo-

naſterij ſancti Ioannis prædictorum ſuper eiſdem expenſis iuramento ſequuto, prout in inſtrumento publico inde confecto ipſius Matthæi Canonici ſigillo munito dicitur pleniùs contineri. Cùm autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat, Abbas & Conuentus Monaſterij ſancti Ioannis prædicti dubitent, quòd dictus Ioannes Epiſcopus ſententiæ præfatæ, & præſentium vigore habendis proceſſibus reuerenter parere non velit; quódque proceſſus huiuſmodi eidem Ioanni Epiſcopo, & aliis quos concernerent tutè nequeant publicari, pro parte Abbatis & Conuentus Monaſterij ſancti Ioannis prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus prouidere eis ſuper hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos itaque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per hæc ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrûm, per vos, vel alium, ſeu alios præmiſſa executioni debitè demandetis, dictaſque ſententias vbi & quando expedire videritis, ſolenniter publicantes, faciatis Abbati & Conuentui S. Ioannis prædictis de præfata florenorum ſumma prædictis expenſis iuxta inſtrumenti prædicti earumdem

condemnationis & taxationis tenorem, plenam & debitam ſatisfactionem impendi : & nihilominùs legitimis ſuper iis per vos habendis ſeruatis proceſſibus, eos quoties expedierit aggrauare curetis, contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Ceterùm ſi per ſummariam informationem ſuper iis per vos recipiendam vobis conſtiterit, quòd Ioannis Epiſcopi & aliorum prædictorum præſentia pro monitionibus & requiſitionibus eis, & citationibus, & ipſis præſentium vigore faciendis ſecurè & & commodè haberi nequeat, nos vobis proceſſus huiuſmodi, necnon monitiones, requiſitiones, & citationes quaſlibet per edictum publicum locis affigendum publicis, & vicinis, de quibus ſit veriſimilis coniectura quòd ad illorum notitiam peruenire valeat, faciendi plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem : volentes quòd monitiones, requiſitiones, & citationes huiuſmodi perinde extent ipſos monitos, requiſitos, & citatos, ac ſi eis præſentialiter factæ & inſinuatæ fuiſſent, non obſtantibus con-

ſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi Ioanni Epiſcopo præfato , vel quibuſuis aliis communiter vel diuiſim à Sede Apoſtolicâ indultum exiſtat , quod interdici , ſuſpendi , vel excommunicari non poſſint per litteras quaſcumque non facientes plenam & expreſſam , ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. DATVM Baſilieæ II. Nonas Iulij , anno à Natiuitate Domini 1437.]

Ex hoc ſimiliter Alexandri V. priuilegio, Iudicatum eſt ab Officiali Primatialis Eccleſiæ Lugdunenſis, in fauorem cuiuſdam Canonici Curati Ordinis Præmonſtratenſis, aduersùs Senonenſem Archiepiſcopum an. 1641. vt ſequitur.

[In cauſa appellationis mota & pendente coram nobis Edmundo de Falguier, vtriuſque Iuris Doctore , Eccleſiæ Primatialis Lugdunenſis Decano Canonico & Comite , Officiali & Iudice Primatiali Franciæ , inter fratrem Guillelmum Piart Presbyterum , Doctorem Theologum , Religioſum profeſſum Ordinis Præmonſtratenſis , Priorem Prioratus-Curati de Noien , dictæ Senonenſis diœceſis, appellantem à quadam ſententia per diſcretum

Officialem Senonenſem die 25. menſis Maij nouiſſimi lata ex vna; & prædictum promotorem intimatum, partibus ex altera. Prædictâ ſententiâ visâ, quâ inter alia continetur, fratrem Ludouicum de Sopitte Abbatem Monaſterij d'Albecourt Ordinis Præmonſtratenſis Procuratorem Sindicum, ab interuentione in proceſſu criminali coram prædicto Officiali Senonenſi ad inſtantiam dicti promotoris contra dictum appellantem moto, ac redditione dicti fratris, illius ſuperiori regulari, excluſum fuiſſe; ſicque ordinatum, quòd proceſſus dicto appellanti per dictum Officialem Senonenſem fieret. Viſis etiam informationibus diebus nonâ & 17. Martij anni 1640. & quinta Ianuarij anni currentis. Interrogatorijs, & reſponſionibus dicti appellantis de die 15. Aprilis nouiſſimi: variis actis & proceſſuris coram prædicto Officiali Senonenſi factis, & productis, cum proceſſu verbali magiſtri Roberti Iamard Iurium Licentiati in Curia Senonenſi Aduocati, necnon Balliui, ſeu locumtenentis Iuſtitiæ temporalis dominorum Decani, & Canonicorum & Capituli Eccleſiæ Senonenſis de die 3. Ianuarij an-

ni Currentis. Alio actu de die 25. menſis Maij nouiſſimi, cum Inuentario per Scribam Officialatus Senonenſis miſſo. Releuamine appellationis pro parte dicti appellantis, de die vigeſima noua eiuſdem Maij nouiſſimi, dicto Promotori debitè notificato. Variis requeſtis pro parte dicti appellantis nobis exhibitis, dicto Promotori debitè ſignificatis. Grauaminibus eiuſdem appellantis, cùm reſponſionibus dicti Promotoris. *Priuilegijs Ordini Præmonſtratenſi, Abbatibus, Prioribus, & Fratribus per ſummos Pontifices conceſſis, & per Reges Chriſtianiſſimos confirmatis, in Parlamento verificatis.* Arreſtis, vno de die 19. Iunij 1620. ad inſtantiam Magiſtri Iacobi de la Verdun Abbatis ſancti Saluatoris de l'Eſtoile, contra fratrem Iulianũ Bobam dicti Ordinis: alio de die 15. Maij 1613. pro parte Prioris & Religioſorum de Beaulieu contra Officialem Senonenſem, ſeu Cœnomanenſem: & reliquo per Petrum Goſſet Generalem Præmonſtratenſem, contra Ioannem le Page Priorem Collegij Præmonſtratenſis in Pariſienſi Vniuerſitate, de die vltima Auguſti 1621. per dictum appellantem exhibitis. Omnibus denique conſideratis, quæ conſideranda erant:

erant : Nos ſolum Deum præ oculis habentes, dicimus *male judicatum, bene verò per appellantem prouocatum; dictamque ſententiam corrigentes, dictas partes coram ſuperiore, ſeu Generali Ordinis Præmonſtratenſis cum proceſſu juxta priuilegia dicti Ordinis remiſimus, & & remittimus, prout de jure proceſſuras, ſine expenſis.* Lata & pronuntiata fuit ſupraſcripta ſententia dicto fratri Guillelmo Piart in abſentia Promotoris Curiæ Archiepiſcopalis Senonenſis, & eius procuratoris per me Petrum le Couſturier Regis Chriſtianiſſimi, domus, & Coronæ Franciæ, necnon ſupremi Senatus Pariſienſis Conſiliarium & Secretarium, ac Domini Fratris vnici Regis Aduocatum Generalem his in partibus, Curiæ Primatialis Franciæ Actuarium ordinarium, anno Domini 1641. die 6. menſis Septembris. Fuerunt omnia per dictum fratrem Guillelmum Piart exhibita, eidem reſtituta anno & die, quibus ſupra. Signatum Petrus le Couſturier, & ſigillatum.]

Quæ quidem ſententia confirmata fuit Senatuſ-conſulto Parlamenti Pariſienſis anno ſequenti, vt ſequitur.

[Entre Meſſire Octaue de Bellegarde, Conſeiller du Roy en ſes Conſeils, Arche-

ueſque de Sens, Primat des Gaules, & de Germanie, appellant comme d'abus d'vne Sentence renduë, par l'Official de Lyon le 6. Semptembre 1641. d'vne part: & frere Guillaume Piart, Preſtre Religieux profez de l'Ordre de Premonſtré, Prieur Curé de Noyan intimé, d'autre: & encore entre Frere Loüis Soppitte, Abbé de l'Abbaye & Conuent de Noſtre-Dame d'Albecour, Syndic dudit Ordre, demandeur en Requeſte preſentée à ladite Cour le 6. Fevrier dernier, à ce qu'il ſoit receu partie interuenante en l'inſtance, & faiſant droict ſur ſon interuention, ledit intimé renuoyé pardeuant ſon Superieur, ſuiuant les Conſtitutions dudit Ordre, d'vne autre part: & ledit de Bellegarde & Piart deffendeurs, d'autre, ſans que les qualitez puiſſent preiudicier aux parties: & que Pucelle Aduocat de l'Appellant voulant deduire ſes cauſes & moyens d'Appel, Briquet pour le Procureur general du Roy s'eſt leué, & dit qu'vn Religieux de l'Ordre de Premonſtré a eſté accuſé de mauuaiſe vie, a demandé ſon renuoy, en a eſté deboutté, y a l'appel comme d'abus interietté par l'Archeueſque de Sens de la Sentence donnée

en l'Officialité de Lyon , ſur lequel y a lieu mettre hors de Cour & de procez, & rendre le Religieux à ſon Iuge Superieur de l'Ordre ; & que de Lamet Aduocat de l'intimé , & Lambin pour l'interuenant ont eſté ouys , *La COVR a mis & met ſur l'appel comme d'abus les parties hors de Cour & de procez, & a rendu & rend l'accuſé à ſon Iuge Superieur de l'Ordre de Premonſtré , pour eſtre contre luy procedé inceſſamment ainſi que de raiſon.* Fait en Parlement le cinquiéme Avril , mil ſix cens quarante deux.]

Ex hoc ſimiliter Alexandri V. priuilegio, duplici deciſione & ſententiâ judicatum eſt in Rota Romana ; alterâ die Veneris 21. Iunij 1652. alterâ die Lunæ 24. Martij 1653. in fauorem Canonicorum noſtrorum Wiltinenſium aduersùs Brixinenſem Epiſcopum in Tiroli.

Ex hoc ſimiliter Alexandri V. priuilegio Iudicatum eſt per Curias ſupremas infinitis propemodum Senatuſ-conſultis, quæ longum nimis & operoſum eſſet hîc referre.

Hoc Alexandri V. priuilegium , atque in eo contenta grata expreſsè , ratáque habuit an. 1475. Ludouicus 11. Galliarum

Digitized by Google

Rex Chriſtianiſſimus Litteris patentibus, quarum tenor ſequitur.

[Ludouicus Dei gratiâ Francorum Rex, Ad perpetuam rei memoriam. Dum penes mentis noſtræ arcana propenſiùs reuoluimus ſinceritatem, integritatem, longeuámque durationem ac diuinam, imò miraculoſam inſtitutionem Præmonſtratenſis Ordinis, qui magnis iam deflu-xis temporum curriculis, myſtico Spiramine, ac beatiſſimâ & glorioſiſſimâ Mariâ Virgine, Chriſti Redemptoris noſtri Matre reuelante, per pium illius Ordinis Patrem primúmque Inſtitutorem beatum Norbertum, virum quidem vitæ ſanctimonia, multiſque coruſcantem, clarentémque miraculis, noſcitur inſtitutus; Atque ille candidus dicti Ordinis habitus pariter atque locus, in pago Laudunenſi, per eandem beatiſſimam & glorioſiſſimam Virginem Mariam, vbi Præmonſtratenſe Monaſterium præfati Ordinis caput & fundamentum conſtrui deberet, præmonſtratus; Vndè Præmonſtratenſem Ordinem ſibi nomen aſſumpſiſſe multis authenticis documentis, hiſtoriíſque probatiſſimis compertum eſt, Nos tantò magis, feruentioréque deſiderio ad ipſum Præmon-

ſtratenſem Ordinem afficimur. Sanè porrecta nobis pro parte dilecti & fidelis Conſiliarij & Eleemoſinarij noſtri Ordinarij, ac etiam familiaris & continui commenſalis noſtri Huberti de Monte Hermeri Abbatis dicti Monaſterij Præmonſtratenſis, necnon dilectorum noſtrorum Abbatum, Prælatorum, Priorum, Prępoſitorum, Decanorum, Canonicorum, Conuerſorum, Donatorum, ac dilectarum noſtrarum Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Monialium, Conuentuum & perſonarũ in humilitatis ſpiritu in Monaſteriis ſiue locis eiuſdem Ordinis Domino famulantium, humilis petitio ſiue ſupplicatio continebat; Quod olim Ordo Præmonſtratenſis antedictus, poſt illus diuinam inſtitutionem, de qua mentio præhabita eſt, primùm ſub fœlicis recordationis Calixto Papa, Anno ſcilicet Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo decimo nono florere cœpit: ac per Honorium ſecundum, Innocentium ſecundum, & deinceps per dignæ memoriæ Alexandrum tertium & quartum, Vrbanum quartum, Innocentium etiam quartum, Gregorium, Clementem & nonnullos alios Romanos Pontifices conſequenter & ſucceſſiuè, Franchiſiæ,

Libertates , Immunitates ac priuilegia multa præfatis ſupplicantibus, ac eorumdem ſucceſſoribus , totíque Præmonſtratenſi Ordini conceſſa extitere, inter quæ multis in bullis ac litteris Apoſtolicis & aliis documentis authenticis nobis exhibitis, quæ inſpicere & viſitare fecimus, ſequentia vidimus contineri.

Et primò circa electiones dicti Præmonſtratenſis Abbatis & aliorum Coabbatum ſuorum ſtatim decretum & ordinatum eſſe comperimus; Quòd eidem Præmonſtratenſi Monaſterio Paſtoris ſolatio deſtituto, per ipſius Monaſterij Fratres & Religioſos, conſilio trium primorum Abbatum, Laudunenſis, Floreffienſis, & Cuiſſiacenſis, ad quos cura & cuſtodia dicti Pręmonſtratenſis Monaſterij pertinet quando vacat, Perſona idonea eligatur, aliis quatuor Abbatibus dicti Ordinis per dictos Canonicos ad huiuſmodi electionem ſecum aduocatis. Electionis verò prædictæ ſic modo præmiſſo celebratæ, confirmatio aut infirmatio ſoli Romano Pontifici ſpectare ac pertinere dignoſcitur. Aliis autem Eccleſiis & Monaſteriis dicti Ordinis, ſuis Abbatibus viduatis, Prior domus hæc procuret Patri-Abbati abſque moræ diſpendio nuntiare, defe-

rens eidem ſigillum Abbatis, & ipſe Pater-Abbas Priori & Conuentui Eccleſiæ vacantis diem certam & competentem ad eligendum aſſignet, ita vt Fratres abſentes qui poterunt & voluerint commodè intereſſe ad diem electionis, vocentur. Die verò ad eligendum præfixâ, celebretur Miſſa de Spiritu ſancto ſecundùm quod tempus & dies fuerit, ac poſtmodum Pater-Abbas in præſentia duorum vel trium Abbatum dicti Ordinis, quos ad conſilium ſuum duxerit aduocandos, Fratribus Eccleſiæ exiſtentibus in Capitulo, inuocatâ priùs Spiritus ſancti gratiâ, Capitulum de electione facienda in præſentia Conuentus diligenter faciat recitari, & proponat eiſdem formam electionis, quæ tantùm fit, ac fieri ſolet per viam Compromiſſi, ac Inſpirationis diuinæ, ſeu quaſi, & non aliter: quæ quidem duæ viæ tantùm ſunt in dicto Præmonſtratenſi Ordine ab illius prima Inſtitutione vſque nunc conſuetæ & obſeruatæ; viâ Scrutini, quæ ſumptuoſa eſt & minùs pacifica, funditùs & omnino reprobatâ, aliis Iuris ſolemnitatibus reiectis. Tractatis autem quæ tractanda fuerint, diligenter & ordinatè, perſona in quam Fratres domus vel

electores aſſumpti vice omnium Canonicè conſentient, Patri-Abbati priùs in ſecreto nominetur, & electione diligenter examinatâ, Pater-Abbas, ſi perſonam inuenerit idoneam, ſine difficultate concedat eiſdem; Quòd ſi eam minùs idoneam inuenerit, poterit reprobare, dummodò iuſtam reprobationis cauſam oſtendat. Si autem inter fratres de eligendo Abbate diſcordia fuerit, vel ſciſſura ſuborta, & ipſi facilè ad concordiam vel vnitatem nequiuerint reuocari, Pater-Abbas de conſilio Abbatum ſuorum eis de idonea perſona prouideat, & illi eam ſine contradictione recipiant in Abbatem; quem ſi recipere contempſerint, ſententiæ ſubiaceant quam Pater-Abbas cum conſilio Coabbatum ſuorum duxerit authoritate ordinariâ promulgandam.

Et ſi aliqui de dicto Præmonſtratenſi Ordine ad electionem vacantium Eccleſiarum ipſius Ordinis ſeculares perſonas aut alterius religionis duxerint conuocandas, niſi à toto Conuentu vel à maiori illius parte ex certa & rationabili cauſa, Regentis Conuentum expreſſo concurrente aſſenſu, fuerint conuocatæ, excommunicationis ſentētiæ ſubiaceant ipſo

facto, donec per Rectorē huiuſmodi, ſi reſipuerint, abſolutionis beneficium meruerint obtinere; Corporali priùs præſtito iuramento quod pœnam ſuſtinebunt, quam dicti Monaſterij Præmonſtratenſis Abbas pro tempore, vel ipſius Ordinis Capitulum generale eis propter hoc duxerint infligendam. Tenenturq; Rectores earumdem electionum ſub pœna ſuſpenſionis, ad immediatè ſequens Capitulum generale referre & exponere ſingulorum nomina, quos delinquere contigerit in hoc caſu.

Item pariter per ipſos Romanos Pontifices Abbati dicti Præmonſtratenſis Monaſterij pro tempore, ex indulto ac ſpeciali priuilegio conceſſum eſt, quòd omnes & ſingulos dicti Præmonſtratenſis Ordinis Coabbates, Præpoſitos, Decanos, Canonicos, Conuerſos, Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, & perſonas eiuſdem Ordinis, caſu exigente, excommunicare & abſoluere, & vbilibet in quibuſuis dicti Ordinis Eccleſiis, quacunque ex cauſa, carceri mancipatos liberare, ac ipſis Coabbatibus, Præpoſitis, Decanis, Abbatiſſis, Prioriſſis ob debilitatem, infirmitatem, aut aliam iuſtam & rationabilem cauſam Coadiutores dare, atque reſignationes re-

Digitized by Google

cipere, penſionéſque ſuper quibuſcunque Abbatiis, Monaſteriis, Præpoſituris, Decanatibus, Prioratibus, Curiis, & aliis ipſius Ordinis beneficiis rationabiles perſonas dicti Ordinis ſolùm & dumtaxat conſtituere; Abbatéſque inutiles, infames, & criminoſos, ſi iuſta ex cauſa caſus exegerit, deponere & deſtituere poſſit & valeat, iuribus & conſtitutionibus Apoſtolicis editis aut edendis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque.

Item conceſſerunt & indulſerunt præfati Romani Pontifices dicti Præmonſtratenſis Monaſterij Abbati pro tempore, vt cùm tranſlationes Abbatum dicti Ordinis fuerint faciendæ, fiant cum conſilio dicti Abbatis Præmonſtratenſis, alioquin ſi ſine eius conſilio & aſſenſu aliquis Abbas permiſerit ſe transferri, priuabitur vtriuſque Eccleſiæ prælaturâ. Pater verò Abbas qui ſine dicto conſilio & aſſenſu aliquem Abbatem transferri fecerit, ſuſpenſus erit, donec eidem Præmonſtratenſi Abbati, de tanto ſatisfacturus exceſſu perſonaliter ſe præſentet; & iure regendi electionem priuabitur: qui talem tranſlatum, vel poſtulatum ſine conſilio & aſſen-

ſu dicti Præmonſtratenſis Abbatis receperit Abbatem , pœna competenti affligatur à Præmonſtratenſi Abbate, & tunç illâ vice ius regendi electionem ad eundem Præmonſtratenſem Abbatem deuoluetur.

Item ſanxerunt præfati Pontifices Romani quòd Abbas Præmonſtratenſis Eccleſiæ, quæ mater eſſe dignoſcitur aliarum, non ſolùm in his Eccleſiis quas inſtituit, ſed & in omnibus aliis eiuſdem Ordinis, & dignitatem & officium Patris obtineat, & ei ab omnibus tam Abbatibus & Præpoſitis, quàm fratribus & Abbatiſſis, Prioriſſis , & Monialibus debita Patri Obedientia impendatur; Quódque omnes Abbates dicti Præmonſtratenſis Ordinis ſingulis annis ad generale Capitulum Præmonſtrati, poſtpoſitâ omni occaſione , conueniant , illis ſolis exceptis, quos à labore viæ corporis retardauerit infirmitas; qui tamen idoneum pro ſe nuntium delegare debebunt, per quem neceſſitas & cauſa remorationis ſuæ Capitulo valeant nunciare. Hi autem qui remotioribus in partibus habitantes, ſine graui difficultate ſingulis annis ſe nequiuerint præſentare , in eo termino conuenient,

qui in ipſo Capitulo eis fuerit conſtitutus. Et de omnibus quæſtionibus & querelis tam ſpiritualibus quàm temporalibus, quæ in ipſo Capitulo propoſitæ fuerint, illud irrefragabiliter teneatur & ſeruetur, quòd Abbas Præmonſtratenſis cum his qui ſanioris conſilij & magis idonei apparuerint, iuſtè & prouidè iudicabit.

Item pariter bonæ memoriæ Alexander Papa quintus nonnullorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærens, dictos ſupplicantes & perſonas cum omnibus membris, Curtibus, Grangiis, domibus, poſſeſſionibus & perſonis degentibus in eiſdem, necnon bonis mobilibus & immobilibus ac aliis rebus quibuſcumque, quas tunc poſſidebant, & in futurum poſſent legitimè adipiſci: ac etiam Eccleſias & alia loca ab eiſdem Monaſteriis dependentia ab omni ſuperioritate, dominio, iuriſdictione, necnon viſitatione quorumcunque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & aliorum quorumcunque Iudicum Ordinariorum, & Officialium Eccleſiaſticorum plenariè exemit, & totaliter liberauit; Illáque ad ius & proprietatem B. Petri Apoſtoli & Sedis Apoſtolicæ, ac ſub eorũ ſpeciali pro-

tectione ſuſcepit, ipſóſque decreuit præfatæ Sedi ſoli & immediatè ſubiacere. Quod quidem exemptionis priuilegium dehinc fuit per multos Romanos Pontifices extenſum atque confirmatum.

Item conceſſerunt & indulſerunt præfati Romani Pontifices dictis ſupplicantibus, quòd liceat vnicuique Matri Eccleſiæ dicti Ordinis, cum conſilio Abbatis Præmonſtratenſis, de Abbatibus Eccleſiarum quæ ab ea proceſſiſſe noſcuntur, ſiue etiam de alia eiuſdem Ordinis inferiori Eccleſia ſibi quemcunque voluerint (ſi tamen idoneus extiterit) aſſumere in Abbatem. Perſonam autem de alio Ordine nulla Eccleſiarum dicti Præmonſtratenſis Ordinis ſibi eligat in Abbatem.

Item conceſſerunt & ſanxerunt præfati Romani Pontifices Grangias & Curtes dicti Præmonſtratenſis Ordinis, ſicut & atria Eccleſiarum ipſius Ordinis à prædonum incurſu & violentia liberas eſſe; prohibentes vt nullus infra dictas Grangias & Curtes hominem capere, ſpoliare, verberare, ſeu interficere, aut furtum committere audeat vel rapinam.

Item Apoſtolicâ & regiâ authoritate prohibitum eſſe comperimus, ne cuili-

bet Eccleſiaſticæ vel ſæculari perſonæ fas ſit tallias exercere, vel quaslibet alias exa- ctiones aut ſubſidia imponere. Quodque licitum & permiſſum exiſtit dictis ſupplicantibus omnes & ſingulas perſonas liberas & abſolutas è ſæculo fugientes ad Conuerſionem recipere, & eas cum rebus ſuis abſque contradictione aliqua retinere. Infirmos quoque abſolutos qui in extrema voluntate ad dictos ſupplicantes ſe transferri, aut apud eos ſepeliri deliberauerint, nullus impedire, ſeu res eorum legitimas detinere præſumat.

Item conceſſerunt & indulſerunt dicti Romani Pontifices, quòd aliquæ litteræ, quæ tacito nomine dicti Præmonſtratenſis Ordinis contra Libertates eiuſdem fuerint impetratæ, nullam habeant firmitatem: omneſque Sententias contra dicti Præmonſtratenſis Ordinis Libertates promulgatas & promulgandas præfati Romani Pontifices irritandas ſtatuerunt.

Item conceſſerunt & indulſerunt præfati Romani Pontifices Abbati eiuſdem, Coabbatibus & Conuentibus vniuerſis, quòd Canonicos & Conuerſos dictum Præmonſtratenſem Ordinem profeſſos fugitiuos, apoſtatas & per ſeculum eua-

gantes, homicidas, incendiarios, fures, falſarios litterarum dicti Ordinis, hęreticos, & alios quomodolibet delinquentes, authoritate ſuâ infra quaſcunque Iuriſdictiones Eccleſiaſticas aut ſæculares, & infra quæcunque loca exempta & non exempta (priùs Iuſticiariis ac Officialibus mundanis aut ſpiritualibus ſuper hoc requiſitis) capere, carceri mancipare, & tandiu captiuos detinere poſſint, donec ipſi facientes de neceſſitate virtutem, à ſuis inſolentiis emendati reſipiſcant.

Item eiſdem ſupplicantibus conceſſum atque indultum fuit, quòd ſi quempiam dicti Præmonſtratenſis Ordinis Canonicum aut Conuerſum contigerit appellare, Abbas ipſius Patri-Abbati, vel annuis Circatoribus, qui Viſitatores appellantur, aut Præmonſtratenſi Abbati, quantò citiùs poterit, nunciare procuret, & appellans ſub regulari diſciplina teneatur in pace, donec per vnum de prædictis ad quem fuerit appellatum, de meritis appellationis cognoſcatur; & à regulari diſciplina nulli liceat appellare: Si verò fuerit appellatũ, illi, quorum intereſt, in appellantes huiuſmodi regularem nihilominùs exerceant diſciplinam. Quòd ſi appellans ſub appel-

lationis prætextu portam exierit, fugitiuus habeatur, & in talem tanquam fugitiuum procedere licebit. Si quis autem Canonicus aut Conuerſus dicti Præmonſtratenſis Ordinis omiſſo Patre Abbate, aut Viſitatoribus annuis dicti Ordinis, aut Præmonſtratenſi Abbate, aut Capitulo generali, ad quos ab inſtitutione Ordinis prædicti vſque nunc appellare conſuetum extitit, ad Sedem Apoſtolicam appellare præſumpſerit, propter hoc appellatus non dimittat in appellantes huiuſmodi, ſi ante vel poſt appellationem exceſſerunt, regularem diſciplinam exercere. Quòd ſi aliquem ad eandem Sedem vel alibi calumnioſè vel friuolè appellare de cætero contigerit, & propter hoc expenſæ vel damna Prælatis ſeu Eccleſiis ſubſequantur, cùm vnde ſatisfacere poſſint non habeant appellantes, loco reſtitutionis expenſarum & damnorum huiuſmodi ad arbitrium Prælatorum ſuorum per carcerem vel aliàs puniantur, penſatâ ſuper hoc qualitate & quantitate damnorum & ſcandali.

Item ſanxerunt dicti Romani Pontifices, quòd ſi inter aliquas Eccleſias dicti Ordinis quæſtio de temporalibus emerſerit

merſerit, non extra præfatum Ordinem Eccleſiaſtica ſeu ſæcularis audentia requiratur, ſed mediante Præmonſtratenſi Abbate & cæteris quos vocauerit, aut charitatiuè inter eas componatur, aut auditis vtriuſque rationibus eadem controuerſia iuſto Iudicio terminetur. Et nihilominus ipſi Romani Pontifices dictis ſupplicantibus, ac toti Pręmonſtratenſi Ordini antedicto quamplura alia priuilegia, franchiſias, libertates, immunitates conceſſerunt, quæ, ſeu ſaltem nonnullæ ex his, per beatiſſimum Ludouicum prædeceſſorem noſtrum ac nonnullos alios inclytiſſimæ memoriæ Diuos progenitores noſtros deinceps laudatę, confirmatę, & approbatæ, pluréſque denuò conceſſæ, pariter & indultę extiterunt, pœnis ingentibus atque formidabilibus tranſgreſſoribus atque violatoribus dictorum priuilegiorum, franchiſiarum, libertatum, & immunitatum per vtramque ditionem Apoſtolicam ſcilicet, & Regiam inflictis atque indictis. Et ne vllis denique ſęculis pręmiſſa abrogari poſſint aut valeant; vtque Præmonſtratenſis Ordo, qui per vniuerſas fermè Religionis Chriſtianæ nationes

diuulgatur, in maximóque cultu & reuerentia habetur, in ſuis priuilegiis, franchiſiis, libertatibus, & immunitatibus per incrementum conſeruari poſſit, Nobis per dictos ſupplicantes fuit humillimè ſupplicatum, vt omnia & ſingula priuilegia ſupradicta, omneſque & ſingulas franchiſias, libertates, & immunitates, prædeclaratas, cæteráque alia priuilegia, ac alias franchiſias, libertates & immunitates quibus antehac ſupplicantes ipſi, tam coniunctim, quàm diuiſim vſi fuerunt & gauiſi, benignè laudare, confirmare, ratificare, corroborare atque approbare, & quatenus illis de amplioris Regiæ celſitudinis gratia vti & gaudere poſſint & valeant, de nouo præfatis ſupplicantibus concedere dignaremur.

NOTVM IGITVR facimus vniuerſis præſentibus & futuris, quòd nos attendentes ſingularem & peculiarem affectum, quem diui progenitores noſtri inclytiſſimi ad religionis cultum & augmentum inuiolabiliter geſſerunt ad vſque, ac ipſorum erga Præmonſtratenſem Ordinem, qui inter cæteros præcipuus in Eccleſia Dei habetur, feruen-

tem deuotionem. Conſiderantes quoque nos erga dictum Ordinem minori dilectione non affici, Et quod per liberalitates & munificentias, quæ delubris Eccleſiis & locis religioſis offeruntur, ſceptra Regum ſublimiùs extolluntur, magnitudines Principum adaugentur & aſſeruntur, ipſiſque ad maioris culmen honoris & durationis via ſternitur. Vtque tantarum orationum ac diuinorum officiorum, quæ noctes & dies tanta cum veneratione, tamque celeberrimo cultu, deuotis imò cæleſtibus quibuſdā ceremoniis, in ſingulis dicti Præmonſtratenſis Ordinis Eccleſiis, quas nos quingentas & ampliùs numero eſſe nequaquam refellimus, participes efficiamur; Et vt etiam commoditati dictæ Præmonſtratenſis Eccleſiæ, quæ, ex eo quòd poſita ſit in metis & finibus ditionis, quorumdam rebellium noſtrorum infinita pertulit incommoda, aliquantiſper occurramus, ipſamque Pręmonſtratenſem Eccleſiam, quam nos omnium dicti Præmonſtratenſis Ordinis Eccleſiarum Caput, Matrem, Magiſtram, & Dominam in veritate confitemur, de aliquo ſubuentionis auxilio releuemus, dicto-

Digitized by Google

rum ſupplicantium , præſertim autem fratris Huberti de Monte Hermeri Eleemoſinarij & familiaris noſtri , prætacti Præmonſtratenſis Monaſterij Abbatis, cuius perſonam , Religionis zelum , mores , virtutes , & merita nos maximoperè comperimus , humillimis petitionibus inclinati, diuorum Progenitorum noſtrorum veſtigiis inhærentes , omnia & ſingula præſcripta priuilegia , omneſque & ſingulas franchiſias , immunitates & libertates præexpreſſas , rata & grata , rataſque & gratas habentes volumus , laudamus , ratificamus & approbamus , ſicut ea certâ ſcientiâ ,authoritate regiâ , plenaque poteſtate confirmauimus , & confirmamus , & nihilominus quod eiſdem priuilegiis , franchiſiis , libertatibus , immunitatibus ſuperiùs deſcriptis , & aliis quibuſcunque, tam per Romanos Pontifices , quàm excellentiſſimæ recordationis diuos Progenitores noſtros præfatis ſupplicantibus ipſique Præmonſtratenſi Ordini dudum ſub quacumque verborum forma antehac conceſſis & indultis, perpetuis temporibus vti pariter & gaudere poſſint & valeant , ſecundum quod ipſis antiquitùs ritè , rectè , & debitè vſi

ſunt, de noſtris CERTA SCIENTIA, authoritate Regia, plenaq; poteſtate quibus ſupra de nouo concedimus & indulgemus per præſentes. Quocirca dilectis & fidelibus noſtris Gentibus qui noſtra futura tenebunt Parlamenta, Præpoſito Pariſienſi, Balliuo Viromandenſi, cæteriſque Iudiciariis noſtris, & eorum Locatenentibus & ipſorum cuilibet, prout ad eum pertinebit, Mandamus, diſtrictiùs iniungentes, quatenus præfatos ſupplicantes & eorum ſucceſſores noſtra præſenti gratia & conceſſione vti & gaudere pacificè faciant & permittant, nihil in contrarium attentari aut innouari patiendo. Quòd ſi quid à quoquam ſecùs agi contigerit, illud ad ſtatum priſtinum & debitum reuocent & reducant, ſeu reuocari & reduci faciant indilatè, viſis præſentibus. Quas, vt perpetua ſtabilitate perdurent, ſigilli noſtri duximus appenſione communiri, noſtro in aliis, & in omnibus quolibet alieno iure ſemper ſaluo. Volentes inſuper quod *Vidimus* ſeu tranſcripto præſentium ſub ſigillo regio confecto plena fides adhibeatur, prout in originali. Datum apud Monaſterium de Victoria prope Siluanectum in menſe Octobri anno, Domini milleſimo

Digitized by Google

quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto; & regni noſtri decimo quinto. Sic ſignatum per Regem. Dominis de Lude, d'Argenton, du Bocage, Michaële Gaillard generali Procuratore, & aliis præſentibus. Signatum Aurillot, Viſa. Contentor, N. regiſtrata.]

Grata ſimiliter, ac rata habuit Carolus 8. Ludouici filius anno 1491. Litteris ſuis, quibus tanquam pręſentes ſubſcripſere Dominus Dux Aurelianenſis, D. de Grauille Admiraldus Franciæ, de Myolans, de Inſula, de Clerieu, & alij, vt videre eſt in Bib. Præm. pag. 767.

De hoc Alexandri V. priuilegio ita ſcribit Renatus Choppin de ſacra Politia lib. 2. tit. 3. n. 7.

Præmonſtratenſes itidem Epiſcopali iuriſdictioni eximuntur Pontificià Alexandri V. immunitate ita ſcripta. Prædictos Abbates, Præpoſitos, Priores, Decanos, Canonicos, Conuerſos, Donatos, Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, & perſonas Præmonſtratenſis Ordinis, cum omnibus membris, Curtibus, Grangiis, domibus, bonis mobilibus, & immobilibus, & aliis rebus, quas poſſident, & in futurum poterunt legitimè adipiſci, necnon Eccleſias, & alia loca ab eiſdem Monaſteriis dependentia, ab

omni ſuperioritate, dominio, iuriſdictione; necnon viſitatione quorumcumque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Iudicum Ordinariorum, & Officialium Eccleſiaſticorum plenariè eximimus & totaliter liberamus, illaque ad ius & proprietatem Beati Petri Apoſtoli, & Sedis Apoſtolicæ, ac ſub eorum ſpeciali protectione ſuſcipientes, ea omnia decernimus præfatæ Sedi ſoli, & immediatè ſubiacere, &c. Pridie Kal. ſextiles. Pontificatus, an. 1. Confine eſt ſingulari huic Diplomati priuilegium ab Innocentio Papa conceſſum 17. Kal. Apriles. Pontificatus an. 11. Tum à Clemente Pontif. qui Auenione ſacrum ſolium obtinebat. 17. Kal. Ianuar. Pontificatus an. 1.

De hoc ſimiliter priuigio ſic ſcribit Aſcanius Tamburinius de Iure Abbatum tom. 1. diſp. 15. q. 4. *Præmonſtratenſes ab Epiſcoporum iuriſdictione exempti fuerunt ab Alexandro V. anno Domini* 1409. *die 31. Iulij, Pontificatus ſui anno 1. Cuius verba ad rem facientia ſunt, videlicet. Patres Abbates Præpoſitos, Priores, Decanos, Canonicos, Conuerſos, Donatos, Abbatiſſas, Prioſſas, &c.* vt ſuprà apud Renatum Choppin, quem etiam laudat.

Huius Alexandri V. priuilegij, cuius originales litteræ Præmonſtrati aſſeruan-

Digitized by Google

tur, tranſſumptum dedit Ioanni Abbati Monaſterij noſtri S. Euodij de Brana Rhemenſis Archiepiſcopus an. 1401. die 5. menſis Aprilis, vt ſequitur.

[Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis Officialis Rhemenſis ſalutem in Domino. Cum exigentibus frequentibus neceſſitatum articulis prouida vtriuſque iuris deliberatione ſtatuitur, vt ſcriptum ex autentiquo ſcripto tranſſumptum, & fide dignis aſſertionibus approbatum, ac autentiquo munimine roboratum fidem vbilibet faciat in agendis. Idcirco nouerint vniuerſi, quòd nos die datæ præſentium litterarum vidimus, tenuimus, & diligenter inſpeximus quaſdam Bullas ſiue litteras Apoſtolicas à ſanctiſſimo in Chriſto Patre & Domino noſtro Domino Alexandro diuinâ prouidentiâ Papa quinto, eius verâ Bullâ plumbeâ cum filis de ſerico impendenti Bullatas, ſanas, & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, nobis pro parte venerabilis in Chriſto Patris Domini Ioannis Dei gratiâ Abbatis Monaſterij S. Euodij de Brana, Ordinis Præmonſtratenſis, Sueſſionenſis diœceſis, præſenta-

Digitized by Google

tas, quarum tenor talis eſt. Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Excitat noſtræ mentis arcanum, &c. *vt ſuprà pag.* 167. Quibus quidem Bullis ſiue litteris Apoſtolicis per nos Officiales Rhemenſes ſupradictos viſis, & diligenter inſpectis fuimus pro parte dicti Domini Abbatis inſtanter requiſiti, quatenùs tranſcriptum ſiue tranſſumptum *vidimus* vulgariter nuncupatum de & ſuper eiſdem concedere, & eidem tranſcripto ſiue tranſſumpto plenariam in iudicio & extra adhiberi ſicuti dictis litteris originalibus adhiberetur, decernere, & authoritatem noſtram, & dictæ Rhemenſis Curiæ interponere dignaremur. Nos verò Officiales ſupradicti huiuſmodi requiſitioni annuentes, præſens tranſcriptum ſiue tranſſumptum eidem conceſſimus, ipſumque per Notarium publicum infraſcriptum fieri, publicari, ſubſcribi, & ſignari fecimus: volentes, & decernenentes quòd huiuſmodi tranſcripto ſiue tranſſumpto ſtetur, & adhibeatur in iudicio & extra tanta fides, ſicuti adhiberetur prædictis litteris originalibus, noſtram & dictæ Curiæ Rhemenſis authoritatem & decretum interponen-

tes. In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium eidem tranſcripto ſiue tranſumpto ſigillum dictæ Curiæ Rhemenſis duximus apponendum. DATVM per Dominum Officialem Magiſtrum Ioannem Remondi, in decretis Licentiatum, anno Domini 1410. die quinta menſis Aprilis, præſentibus diſcretis viris Domino Radulpho de Caluomonte dictæ Curiæ Rhemenſis Regiſtrario, & Robino Talot dictæ Curiæ apparitore, & teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et infra.

Et ego Bertrandus Bailloit Clericus Sueſſionenſis diœceſis, publicus Apoſtolicâ & Imperiali authoritatibus Notarius pręſentis tranſcripti ſiue tranſſumpti petitioni, & ipſius conceſſioni præſens interfui, pręſenſque publicum inſtrumentum ex vera originali Bulla, factâ cum eadem diligenti collatione, exinde confeci, ipſumque per alium fideliter ſcriptum, ſigno & nomine meis ſolitis, vnà cum ſigilli Curiæ Rhemenſis appenſione ſignaui in teſtimonium præmiſſorum. Signatum Baillot cum ſigillo.]

Similis formæ tranſſumptum dedit Ioanni Abbati Vallis-Chriſtianæ Victor

Sueſſionenſis Epiſcopus die 22. menſis Aprilis an. 1410.

Idipſum pręſtitit noſtro Hermeriarum Abbati Altiſſiodorenſis Epiſcopus 9. Martij an. 1410.

Tranſſumptum vtriuſque Alexandri V. priuilegij, ſicut & fulminationis Romæ factæ per Conſeruatores Apoſtolicos, noſtris Dom martinenſibus conceſſit Ambianenſis Epiſcopus an. 1411. 10. menſis Februarij.

Vtriuſque etiam dicti priuilegij, ſicut & fulminationis ſupradictæ Tranſſumptum dedit noſtris Vallis Gandij Canonicis Epiſcopus Pariſienſis die 4. menſis Auguſti an. 1412.

Eorumdem Alexandri V. & Ioannis 23. ſuprà priuilegiorum, atque etiam fulminationis eorum Romæ factæ tranſſumptum dedit noſtro Cilleyenſi Abbati Sagienſis Epiſcopus an. 1413. menſis verò Iulij die 6.

Tranſſumptum priuilegij Ioannis 23. quo deputantur Conſeruatores Apoſtolici pro priuilegio ſupra relato, quod incipit: *Habentes in deſideris*, &c. Ordinis Procuratori generali conceſſit Epiſcopus Pariſienſis 25. Octobris an. 1413.

Tranſſumptum priuilegij ſecundi Alexandri V. noſtris Sammartinenſibus conceſſit Laudunenſis Epiſcopus anno 1422. feriâ ſextâ ante feſtum S. Andreæ Apoſtoli, declarans *ſe vidiſſe, tenuiſſe, & diligenter inſpexiſſe eiuſmodi litteras, eaſque ſummi Pontificis verâ Bullâ plumbeâ cum filis ſericis more Romanæ Curiæ Bullatas, ſanas, & integras, omnique prorſus vitio & ſuſpicione carentes reperiſſe.*

Tranſſumptum priuilegij Eugenij 4. in quo Ioannis 23. refertur priuilegiũ, quo deputantur Conſeruatores Apoſtolici pro ambobus Alexandri V. priuilegiis, anno 1434. menſis Maij die 11. noſtris Belliportus Religioſis conceſſit Trecorenſis Epiſcopus: his nimirum armis, ſeu tranſſumptis priuilegiorum Alexandri V. & Ioannis 23. parabantur ad bellum ſibi ab Epiſcopo Briocenſi iam indictum, & fine, quo ſuprà pag. 207. ex Eugenio 4. retulimus, terminandum.

Tranſſumptum huiuſce primi priuilegij Alexandri V. Franciſco noſtro Monaſterij S. Trinitatis de Lucerna Abbati conceſſit Archiepiſcopus Rothomagenſis an. 1512. menſis Maij die 15.

Tranſſumptum vtriuſque priuilegij

Digitized by Google

Alexandri V. noſtris Viromandenſibus conceſſit Præfectus Pariſienſis die Iouis 12. Martij an. 1410.

Vtrumque Alexandri V. priuilegium confirmauit Gregorius 13. anno 1578.

Porrò licet inſtrumentis hiſce autenticis omnia Inquiſitoriarum obiectionum momenta corruant; placet nihilominùs (quò ſuperabundanti confutatione penitius diſſoluantur) hîc breuiter ſingula perſtringere.

Primò igitur momento pag. 125. duplici in æquiuoco ludit Inquiſitor: altero, quo *motum proprium* malignè interpretans, & in prauum ſenſum inauditâ acceptione contorquens, Pontifices ridet; quaſi diploma *proprio motu* conceſſum illud ſit, quod inconſiderato inordinato-ve Pontificum affectu vel genio; non autem illud, quod ad nullius poſtulationem inſtantiam-ve Apoſtolicâ dictante prudentiâ conceditur. Altero, quo ea quæ ſunt à ſummis Pontificibus dicta de Canonibus ad fidem, morumque integritatem ſpectantibus, de iis qui ad exteriorem Eccleſiaſticam diſciplinam pertinent, dolosè vel inſcitè dicta ſupponit. Et ea quæ iidem ſummi Pontifices aiunt carpendo Epiſco-

pos, qui Canonibus etiam de exteriori Eccleſiaſtica diſciplina conceptis per omnia ſubſunt, & quibus ab iiſdem Canonibus propriâ authoritate ne lato licet vnque recedere, ad eoſdem ſummos Pontifices eiuſmodi Canonum Conditores ac Dominos (quaſi iis ſubiiceretur ligaretur-ve ſuprema eorum authoritas) ineptè extendit.

Quæ momento 2. pag. 127. & ſeq. continentur adeo ſunt frigida, vt pudeat in iis confutandis immorari: *In antiquiorum Alexandro V. Pontificum priuilegiis*, ait, *inuſitata eſt complexio hæc verborum: Abbates, Prælati, Præpoſiti, Decani, Canonici, Conuerſi, Donati.* Quaſi ſub nominibus *Abbatum, Præpoſitorum, Priorum, & vniuerſorum fratrum, ſeu Canonicorum Præm. Ord.* Quibus ex ipſomet Inquiſitore vtuntur illi Pontifices antiquiores, non continerentur omnes hîc paulò diſtinctiùs expreſſi; aut non licuerit, ſummis Pontificibus in ſuis indultis appellare de Ordine quos libuerit; eſſent-ve in Alexandri V. priuilegio aliqui nominati ab Ordine Præmonſtratenſi alieni & extorres.

Momentum 3. pag. 132. & ſeq. conceptum viro indignum eſt, vtpotè ab au-

Digitized by Google

thoritate purè negatiuâ : Et quaſi ſub nomine generico *ſororum*, quo Pontifices Alexandro anteriores vtuntur, non continerentur *Abbatiſſæ*, *Prioriſſæ*, *Moniales*.

Quarto momento pag. 134. *Alexander* (ait) *ad annum* 1409. *de Abbatiſſis, Prioriſſis, & Monialibus Præmonſtratenſis Ordinis perinde loquitur, ac ſi tunc fuiſſent adhuc illarum Monaſteria, vel ſi fuiſſent ea magno in numero.* Et rectè id quidem ; quippe Alexandri tempore erant Monialium Præmonſtratenſium pluſquam ducenta Monaſteria in Germania, Hungaria, Hiſpania, Polonia, Anglia, Dania, & Belgio, & eorum quamplurima, eaque celeberrima ad noſtra vſque tempora in Germania, Polonia, Hiſpania, Hungaria, & Belgio ſubſtiterunt, atque etiamnùm ſtant : vt Generalis modernus anno 1653. in vnica Weſtphaliæ prouincia quatuordecim earum Monaſteria viſitauerit. Atque hinc diſcat Inquiſitor de rebus ſibi ignotis planè ſilere. Diſtinguat petereà, cum legit, inter decretum aliquod & eius executionem. Ac denique obſeruet, executionem quorumdam decretorum (cuiuſmodi fuit illud de non ampliùs recipiendis in Ordine ſororibus) terræ Principum authori-

tate, aliiſque modis impediri poſſe, vti de facto in Germania, Hiſpania, Polonia, Hungaria, & Belgio impedita eſt.

Momento 5. pag. 138. ait: *Alexander dicit inhærere ſe nonnullorum Romanorum Pontificum veſtigiis, quæ illi nunquam impreſſerant, &c.* Huius momenti falſitas ex Bullis Alexandrinâ anterioribus, tùm hîc, tùm in Præmonſtratenſi potiſſimùm Bibliotheca relatis, conſtat euinciturque.

Vt autem videat Inquiſitor; non modò perſonarum, ſed etiam locorum Præmonſtratenſium omnimodam exemptionem ante Alexandri V. Pontificatum Antiſtitibus Illuſtriſſimis fuiſſe compertam, probatamque, legat acta ſequentia, quibus iidem Antiſtites id apertè ſignificant.

Primùm eſt Roberti Rhemenſis Archiepiſcopi declarantis quod, cum Laudunenſem diœceſim viſitans in Monaſterio noſtro Sammartinenſi per vnum aut alterum diem requieuit, ibidem propriis ſumptibus & expenſis vixerit; nolitque per eiuſmodi moram noſtris præiudicium vllum generari, ſibi-ve, aut ſucceſſoribus ſuis Ius in noſtros vllum acquiri.

Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, Robertus miſeratione diuinâ Rhemenſis Archiepiſcopus

copus Salutem in Domino. Nouerint vniuerſi, quòd cum nos Laudunenſem diœceſim viſitantes ad Monaſterium Beati Martini Laudunenſis, Præmonſtratenſis Ordinis cauſa procurationis deſcenderimus die ſabbathi poſt feſtum Beati Matthæi Apoſtoli, & ibidem die Dominicà ſequenti remanſerimus, ad noſtris ſumptibus propriis & expenſis, nolumus quod propter hoc Abbati & Conuentui dicti loci, ſeu Monaſterij prædicti præiudicium in poſterum generetur, aut nobis, ſeu ſucceſſoribus noſtris Ius aliquod acquiratur. DATVM *ſub ſigillo noſtro anno Domini 1323. die ſabbathi poſt feſtum Beati Matthæi Apoſtoli prædicti.* Sigillatum in cera rubra.]

Secundùm eſt Officialis Claromontenſis in Aruernia, qui *viſis priuilegiis Ordinis Præmonſtratenſis, & habità deliberatione maturà cum peritis*, ſuâ ſententiâ, cuius ſuprà pag. 97. mentionem fecimus, declarat, duos è Canonicis noſtris ad ſe traductos, *fuiſſe & fore exemptos à iuriſdictione ſua, ipſoſque ab examine ſuo licentiat.*

[Nos Officialis Claromontenſis. Notum facimus vniuerſis pręſentes litteras inſpecturis & audituris, quod cum in cauſa, quæ coram nobis vertitur authoritate Ordinariâ inter Parrotimum, Bertonum, & Bertrandum de Romuſac hæredes, & vt

hæredes vniuerſales defuncti Bertrandi de Romuſac quondam Ciuis Claromontenſis actores, pro quibus comparuit Petrus Emalberti Ciuis Claromontenſis ſufficienter fundatus, cum quibuſdam litteris procuratoriis ſigillo Curiæ Claromontenſis, vt primâ facie apparebat, ſigillatis, cum quibus tanquam ſufficienter fundatus nunc & aliàs per nos extitit admiſſus ex vna parte; & Religioſos viros Dominum Abbatem Monaſterij S. Andreæ prope Claromont. & fratrem Gerardum Symonis Concanonicum dicti Monaſterij, Ordinis Præmonſtratenſis reos, ex parte altera, pro ſe perſonaliter comparentes, citra tamen conſenſum & iuriſdictionis dicti Domini Officialis prorogationem, ſuper eo & ex eo videlicet, quòd dicti Dominus Abbas & frater Gerardus dixerant & dicebant, eos non debere, neque teneri ſubire Iudicium coram nobis cum dictis actoribus, quin imò ipſos fore licentiandos ab examine noſtro; nam, vt ipſi dicebant, fuerant & erant exempti à iuriſdictione noſtra, prout conſtare aſſeuerant & aſſerebant quodam tranſſcripto, ſiue quibuſdam litteris ſigillo Curiæ Claromontenſis, vt primâ facie, apparebat, ſigil-

Digitized by Google

latis, necnon ſignis & ſubſcriptionibus Petri Fabri Clerici de Rupe Radulphi Claromontenſis diœceſis, publici Apoſtolicâ & Imperiali authoritate Notarij, & Alduini Saluangnat Clerici Claromontenſis diœceſis publici Apoſtolicâ authoritate & Imperiali Notarij ſignatis, exemplatis, propriuilegiis, dictis Abbati & ſuo Conuentui, & toti Ordini Pręmonſtratenſi per Romanum Pontificem conceſſis, quod, ſeu quas exhibuerunt nobis, quæ ſic incipiunt à parte ſui principij. Nos Officialis Claromontenſis per præſentes litteras, ſeu per hoc præſens publicum inſtrumentum Notum facimus vniuerſis, quòd pro parte venerabilium & Religioſorum virorum Abbatum & Conuentuum Præmonſtratenſis Ordinis fuerunt nobis præſentatæ quædam litteræ Apoſtolicæ, ſeu quædam priuilegia in filis ſericis more Romanæ Curiæ Bullatæ, ſeu Bullata, quarum litterarum, ſeu priuilegiorum tenores inferiùs continentur, &c. Et finiuntur ſic ante ſubſcriptiones Notariorum: Not. Curiæ Claromontenſis iuratis Claromontenſis diœceſis teſtibus ad præmiſſa vocatis. Eſſet dies hodierna, videlicet dies Martis poſt æſtiuale feſtum beati Nicolai ante

Digitized by Google

tertiam per nos dictis partibus aſſignata ad interloquendum, an dicti Dominus Abbas & frater Gerardus eſſent à noſtra iuriſdictione exempti, necne? Ipſa verò die Martis loco & horâ prædictis, comparentibus coram nobis Officiali præfato horâ cauſarum Curiæ noſtræ Claramont. ad iura reddendum pro tribunali ſedentibus, videlicet dicto Petro Emalberti procuratore dictorum actorum & eorum procuratorio nomine, quo ſupra, ex vna parte. Et ex aduerſo dictis Dominis Abbate & fratre Gerardo pro ſe perſonaliter, ex parte altera, citra tamen omnem conſenſum & noſtræ iuriſdictionis prorogationem, & interloqui ſuper & de præmiſſis per nos poſtulantibus, & cum inſtantia requirentibus. *Nos igitur Officialis præfatus ad iura reddendum pro tribunali ſedentes, viſis priuilegiis prædictis, & habità deliberatione maturà cum peritis, interloquendo pronuntiamus, dictos Abbatem & fratrem Gerardum fuiſſe & fore exemptos à iuriſdictione noſtra, cum etiam Ordinis Præmonſtratenſis immunes & exempti à iuriſdictione Ordinariorum exiſtant, ipſos licentiantes ab examine noſtro.* De quibus præmiſſis omnibus ipſi ſibi fieri petierunt hoc præſens actum ſub ſigillo Curiæ Cla-

romontenſis ſigillandum. In cuius rei teſtimonium his præſentibus litteris apponi fecimus & appendi ſigillum Curiæ Claromont. ACTVM & datum dicta die Martis poſt æſtiuale feſtum beati Nicolai, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quinto. Signatum Aldebertus de Fago. Et ſigillatum in cera flaua.]

Tertiùm eſt Ioannis Ambianenſis Epiſcopi declarantis, quòd, cum in Monaſterio noſtro S. Iudoci in Nemore per aliquot dies hoſpitatus eſt, ibidemque Tonſuras Clericales contulit, id fecit ex conceſſione Abbatis. Nolitque ex eo noſtrorum *exemptioni ab Ordinario* præiudicium aliquod generari.

[Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, Ioannes miſeratione diuinâ Epiſcopus Ambianenſis ſalutem in Domino. Cùm venerabilis in Chriſto Pater Abbas Monaſterij S. Iudoci in Nemore, aliàs de Domp-martino, Ordinis Præmonſtratenſis, noſtræ diœceſis, nobis conceſſit, quòd octo vel nouem diebus, quibus habemus certa loca prope dictum Monaſterium viſitare, ipſa viſitando poſſemus Nos cum famulis & equis noſtris ad

dictum ſuum Monaſterium habere regreſſum, & *in ipſo hoſpitari*, *ibidemque Tonſuras Clericales conferre*: Notum facimus per præſentes, quòd propter hoc noluimus nec intendimus quòd eidem Abbati, *nec eius exemptioni ab Ordinario*, necnon proceſſui qui habetur inter ipſum & alios Abbates eiuſdem Ordinis dictæ noſtræ diœceſis occaſione procurationis, *aliquod præjudicium generetur.* Super quibus eidem Abbati aliàs noſtras litteras conceſſimus, quæ ſi tantum tempus non continebant, quantum ſuperiùs eſt expreſſum, iſtas litteras de nouo ſibi concedimus, dictas primas litteras per eas annullantes. DATVM ſub noſtro ſigillo rotundo, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptimo, die penultimâ menſis Ianuarij. Signatum Bouuart cum parapho, & ſigillo rotundo. }

Quibus quidem actis addo & alia duo Alexandrino priuilegio poſteriora, alterum Epiſcopi Margacenſis an. 1475. alterum Epiſcopi Sueſſionenſis an. 1502. ex quibus omnibus euincatur hanc ſemper fuiſſe Illuſtriſſimorum Antiſtitum mentem, id eis omnino perſuaſum: ſibi non licere in Eccleſiis noſtris Ordines ſacros

aut Tonſuram clericalem conferre, confirmare Neophytos, Eccleſiaſtica vaſa, aliave ornamenta benedicere, pernoctare apud nos, niſi de conſenſu rogatuve noſtrorum.

¶ In nomine Domini, Amen. Nouerint vniuerſi & ſinguli præſentes inſpecturi, hoc præſens inſtrumentum præſentium viſuri, audituri, lecturi, & inſpecturi, quòd anno ejuſdem Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto, more Gallicano computando, indictione nona, die verò menſis Ianuarij quinta, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini Sixti diuinâ prouidentiâ Papæ quarti anno quinto, in mei Notarij pręſentia teſtiumque infra ſignatorum aduocatorum præſentia conſtitutus perſonaliter Reuerendus in Chriſto Pater dominus Michael Dei gratiâ Margacenſis Epiſcopus, Reuerendi in Chriſto Patris & Domini Domini Ioannis de Gaucourt, eâdem & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiâ Commendatarij & Adminiſtratoris Eccleſiæ & Epiſcopatûs Ambianenſis Suffraganeus, ſeu vices gerens, limites, domum, & Monaſterium Eccleſiæ ſancti Iudoci in Nemore, aliàs Dompni-Martini, Ordinis Præmonſtra-

tenſis, in ipſa diœceſi Ambianenſi, de licentia tamen & permiſſu venerandi & religioſi in Chriſto Patris Domini Michaelis de Rua Abbatis, Dominorumque Prioris & Conuentus ejuſdem Monaſterij ſeu Eccleſiæ Domni-Martini, venerabili & diſcreto viro Magiſtro Nicolao Anglici, dicti Domini Ambianenſis Secretario, nonnulliſque alijs viris Eccleſiaſticis & ſecularibus aſſociatus, introiuit & intrauit. Ante cuius quidem Monaſterij introitum, ſalutationibus tamen hinc inde reuerenter & honorificè factis, & poſt aliqua verba ſimiliter dicta & prolata, præfatus Dominus Michael Margacenſis Epiſcopus dicto Domino Domni-Martini Abbati dixit, retulit, & alta & intelligibili voce declarauit, quòd huc aduenerat, veniebat, & intrauerat de licentia ſpeciali & permiſſu præfatorum Dominorum Abbatis, Prioris, & Conuentus Domni-Martini: & *quod ſcit, ſciebatque, & cognoſcebat eoſdem Dominos Abbatem, Priorem, & Conuentum, atque Domni Martini Monaſterium, necnon ſuos familiares & domos à juriſdictione & authoritate præfati Domini Ambianenſis fore, fuiſſe, & eſſe exemptos, nec juriſdictioni ipſius Domini Ambianenſis quouis modo ſubiectos ſeu ſubditos:*

Digitized by Google

& ad ipſum Monaſterium veniebat ſolummodo & intrabat cauſâ recreationis & amicitiæ, *& non aliter.* Inſuper eadem die quinta dicti menſis Ianuarij, anno, indictione, & Pontificatu præſcriptis, in capella B. Mariæ Virginis in ambitu ipſius Monaſterij Domni Martini ſita, prælibato Domino Margacenſi Epiſcopo ad ſacrũ ſacramentum Confirmationis, & Tonſurã quibuſdam paruulis tribuendum & dandum præparato & diſpoſito, omnibus & ſingulis præmiſſis reſumptis, & reiteratis, & declaratis, *Prænominatus Dominus Epiſcopus Margacenſis palam & publicè voce alta & intelligibili dixit, expoſuit, atque declarauit, quòd ibidem ſacram Confirmationem & Tonſuram tribuens, caliceſque & alia ornamenta Eccleſiaſtica benedicens, cæteraque quæ ibidem faciebat, fecerat, & faceret, & facere intendebat, faciens & exercens erat & eſt de licentia ſpeciali & permiſſu prætactorum Dominorum Abbatis, Prioris, Conuentus Monaſterij Domni Martini præſcripti, & quod, vt prædictum eſt, ſcit, ſciebat, & cognoſcebat dictos Dominos Abbatem, Priorem, & Conuentum atque Eccleſiam, familiares, domos, & ſeruitores ipſius Monaſterij Domni Martini à poteſtate, authoritate, & juriſdictione Domini*

Ambianenſis prætacti, fore & eſſe exemptos, nec eiuſdem iuriſdictioni aut correctioni quouis modo ſubjectos ſeu ſubditos, & quod ibidem ſacramentum Confirmationis tribuens, necnon quoſdam paruulos Tonſurando, exemptionem prædictam, iura, prærogatiuaſque, libertates, & priuilegia ipſorum Dominorũ Abbatis, Prioris & Conuentus M*onaſterij & Eccleſiæ Domni Martini præfatorum infringere, eneruare, lædere, ſeu corrumpere non intendit, nec intendebat quouis modo*, ſed magis quantum in ſe eſt confirmare, roborare & augmentare intendebat, volebat; & quod id quod in eadem capella, necnon in dicto Monaſterio & ambitu ejuſdem fecerat, faciebat, & faceret, *erat & eſt de licentia & permiſſu ipſorum Dominorum Abbatis, Prioris, & Conuentus Domni Martini, & non aliter. In ſignum cuius in fine litterarum* nomine venerabilium virorum Dominorum in ſpiritualibus & temporalibus Ambianenſium Vicariorum generalium ſigillo Officij vicariatus Ambianenſis ſigillatarum, ſignoque manuali præfati Magiſtri Anglici Secretarij ſignatarum & roboratarum, eiſdem juuenibus & paruulis ibidem ſicut præmittitur, Tonſuratis conceſſarum & datarum, præfatus Dominus Margacenſis Epiſcopus per ipſum Magi-

Digitized by Google

ſtrum Nicolaum Secretarium & per alios eaſdem litteras facientes & ſcribentes, *poni fecit & inſcribi* hoc quod ſequitur, ſcilicet : *Datum apud Domnum Martinum de licentia venerabilis Patris Abbatis dicti loci*, anno Domini milleſimo quadringēteſimo ſeptuageſimo quinto, die quinto menſis Ianuarij. Et ſimiliter poſuit litteris datis ibidem die ſexta dicti menſis Ianuarij, ſcilicet, *de licentia prælibati Domini Abbatis, vt prætactum eſt.*

De & ſuper quibus præmiſſis omnibus & ſingulis ſæpe repetitus Dominus Abbas Domni Martini petiit inſtrumentum publicum, ſeu inſtrumenta publica, vnum vel plura ſibi fieri & tradi per me Notariū publicum ſubſcriptum, in teſtimonium & approbationem veritatis præmiſſorum, adſtantibus in teſtes inuocatis. Acta fuerunt hæc in locis præſcriptis ſub anno, menſe, die, indictione & pontificatu prædictis. Præſentibus ad hæc venerabilibus & diſcretis viris prænominato Magiſtro Nicolao Anglici ipſius Domini Ambianenſis Secretario, Ioanne Morel Presbytero, & Ioanne Fabro Clerico, Notariis publicis cum multis alijs teſtibus dictæ Ambianenſis diœceſis vocatis ſpecialiter

& rogatis, *cum proteſtatione* per eundem Dominum Domni Martini Abbatem factâ propter præmiſſa ſuper & de ſuis priuilegijs & exemptionibus non infringendis. Et infra.

Verùm quia ego Adam Perrin Presbyter Morinenſis diœceſis, in artibus Magiſter authoritatibus Apoſtolicâ & Imperiali Tabellio publicus prædictis declarationi & aſſertioni, cæteriſque præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic vt præmittitur agerentur, dicerentur & fierent vnà cum prænominatis teſtibus præſens & perſonaliter interfui, eaque ſic fieri vidi, ſciui, & audiui, & in notum ſumpſi; idcirco huic inſtrumento publico exinde confecto, manu meâ propriâ fideliter ſcripto ſignum meum publicum & ſolitum appoſui, hîc me eâdem manu ſubſcribente, in robur & teſtimonium veritatis præmiſſorum requiſitus ſpecialiter & rogatus.]

[Ioannes miſeratione diuina Sueſſionenſis Epiſcopus. Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. Notum facimus, anno & die datæ præſentium litterarum nos curſum viſitationis noſtræ in Archidiaconatu facientes, parochialem Eccleſiam de Brana viſitaturi, ad Mo-

naſterium ſancti Euodij eiuſdem loci declinauimus, & ibidem duabus noctibus quieuimus: non autem viſitationis cauſâ in eodem exercendæ: *ſed duntaxat quia* per venerabiles & religioſos viros Abbatem & Conuentum eiuſdem Monaſterij pro recreatione captanda *fuimus amicabiliter inuitati*, ſicut annis præcedentibus. *Quod nec per nos, nec per ſucceſſores noſtros ad conſequentiam trahi volumus.* In cuius rei teſtimoniũ litteras præſentes noſtri munimine ſigilli roborauimus. DATVM in prædicto Monaſterio, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſecundo, die ſexta menſis Augusti. Signatum, Vinque. Et ſigillatum in cera rubra.]

Imò cùm derogauit Alexander V. hoc in priuilegio Conſtitutioni Innocentij IV. etiam in hoc nonnullorum Romanorum Pontificum veſtigijs inhæſit, ac nominatim Alexandri IV. vt videre eſt in indulto ſequenti.

[Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Abbati Præmonſtratenſi eiuſque Coabbatibus Præmonſtratenſis Ordinis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm fœlicis recordationis Innocentius Papa prædeceſſor noſter

duxit ſtatuendum, vt exempti quantâcumque gaudeant libertate, nihilominùs tamen ratione delicti, ſeu contractus, aut rei de qua contra ipſos agitur, ritè poſſint coram locorum Ordinariis conueniri, & illi quoad hoc ſuam in ipſos iuriſdictionem, prout ius exigit, exercere: vos dubitantes ne per conſtitutionem huiuſmodi libertatibus, & immunitatibus vobis & Ordini veſtro per priuilegia & indulgentias ab Apoſtolicâ Sede conceſſis præiudicium valeat inferri, nobis humiliter ſupplicaſtis, vt prouidere ſuper hoc indemnitati veſtræ paternâ ſollicitudine curaremus. Quia verò eiuſdem Ordinis ſacra religio ſic vos apud nos dignos fauore conſtituit, vt nobis motiuum exiſtat vos ab omnibus, per quæ vobis poſſent prouenire diſpendia, immunes libenti animo præſeruare. Authoritate vobis præſentium indulgemus, vt occaſione conſtitutionis huiuſmodi nullum eiſdem libertatibus & immunitatibus præiudicium generetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autē hoc attentare præſumpſerit, indignationē omnipotētis Dei, & B. Petri &

Pauli Apoſtolorũ eius ſe nouerit incurſurum. DATVM Anagniæ ſexto Kal. Nouembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.]

Momento 6. pag 139. Suffoſſoris ac impoſtoris munere egregiè fungitur his verbis: *poſtquam dixit* (Alexander V.) *ſe nonnullorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum veſtigiis inhærere, prædeceſſorum conſtitutionibus quibuſcumque derogat*, truncando hæc verba, *in contrarium editis*: quibus additis (vti de facto in Alexandri Bulla adduntur) quid abſurdi, quidve à formulis in vnoquoque Pontificio diplomate ſeruari ſolitis alieni?

Momento 7. pag. 140. Iuris Eccleſiaſtici ignarum ſe, iuxta ac Pontificum calumniatorem impoſtoremque phreneticum oſtendit: quippe qui ea, quæ ſunt certiſſima probatiſſimaque pleniſſimæ exemptionis indicia, iniuriis contumeliiſque in ſummos Pontifices ad inſaniam vſque feraciſſimus ac totus effluens, ſceleri & flagitio vertit. *Quæ ſequitur clauſula* (inquit) *Simoniæ labem importat, volumus autem quòd Abbas, qui nunc eſt & ſucceſſores ſui Abbates, &c. ad indicium perceptæ à nobis huiuſmodi libertatis ſex florenos auri de Camera in feſto B. Petri & Pauli Apoſtolorum annis ſin-*

gulis Cameræ Apoſtolicæ ſoluere teneantur. Quaſi diceret : Date mihi, datè Apoſtolicæ Cameræ florenos ſex auri, & dabo vobis exemptionis & immunitatis tabulas quaſcunque : impuniti & liberi eritis à diœceſanis Antiſtitibus, qui antea vos in ordinem cogebant. Hæc inſaniens ac rabida interpretatio, confictio, contumelia, impoſtura omnium fœdiſſima Iure ipſo euidentiſſimè reuincitur atque confunditur Cap. Si Papa de priuil. in 6. vbi hæc habentur : *Si autem Eccleſiæ vel Monaſterio exemptionis priuilegium concedendo : vel ſuper ipſius exemptione ſententiando (cum de ipſius exemptionis negotio ageretur) aſſerat ipſam Eccleſiam fore exemptam : aut eam iuris Beati Petri exiſtere, ſiue ad ius & proprietatem Romanæ Eccleſiæ, vel ad Romanam Eccleſiam ſpecialiter & ſine medio, vel etiam ſimpliciter pertinere : per hoc plenè debet exempta huiuſmodi Eccleſia iudicari, &c. Et eſt idem ſi priuilegium contineat, &c. Aut ſi dicat indefinitè quòd Eccleſiæ Romanæ annuum cenſum ſoluat ad perceptæ indicium libertatis. Siue quòd ipſam Eccleſiam eximit ab Ordinarij poteſtate, &c.* Et in Panormitano in Cap. Conſtitutus de relig. dom. *In ſignum perceptæ libertatis, vel præteritæ ſubiectionis, non autem in recompenſationem ſpiritualium, Epiſcopus*
poteſt

poteſt retinere ſibi certum cenſum, dummodo ſibi non ſeruet magnam quantitatem. (Cuiuſmodi non ſunt ſex floreni comparatione mille Monaſteriorum Pręmonſtratenſium, quæ ſtabant tempore Alexandri V.) Et infra: *ſpiritualia non poſſunt concedi in Emphyteuſim, cum quodammodo viderentur vendi; ſed ad cenſum poſſunt concedi; quia cenſus retinetur, non in recompenſationem iuris conceſſi, ſed potiùs in memoriam libertatis conceſſæ, ſeu in ſignum præteritæ ſubiectionis.* Et paulò ſupra: *in contractu Emphyteutico res cadit in commiſſum, ſi non ſoluitur penſio infra biennium ſeu triennium; ſed in contractu cenſuario ex non ſolutione res non perditur.* Et in cap. recepimus de priuil. *Solutio cenſus non probat quem exemptum, niſi ex alio deprehendatur, vt quia ſoluitur ad indicium perceptæ libertatis.* Imò tam firma cenſentur ex hac conditionis appoſitione, & per modum contractus concepta conceſſaque priuilegia (cuiuſmodi eſt hoc Alexandri V. vbi cenſus ſex florenorum Ordini Præmonſtratenſi impoſitus, acceptatuſque eſt) vt ea per generales clauſulas reuocari non poſſint; ſitque hæc conditio *cenſus* à ſummis Pontificibus adinuenta, priuilegiiſque eiuſmodi appoſita eo conſilio, non vt commodum ha-

berent temporale, ſed vt priuilegiis eiuſmodi ſtabilitatem inconcuſſam atque à reuocationibus quantùm fieri poterat ſecuritatem tribuerent. Ita Alexander 3. Extra. eodem tit. cap. Recepimus. *Inſpicienda ſunt ergo*, inquit, *Eccleſiarum priuilegia, & ipſorum tenor eſt diligentiùs attendendus, vt ſi fuerit deprehenſum, quòd Eccleſia, quæ cenſum ſoluit, ſpecialiter B. Petri iuris exiſtat, ad indicium perceptæ libertatis cenſus annuus confeatur, non immeritò poterit ſpeciali prærogatiua gaudere.* Ita ij ferè omnes, qui de priuilegiis ſcripſere.

Et certè mirum eſſet Ioannem 23. Concilium Baſil. Eugen. 4. qui priuilegium iſtud in Alexandri V. regeſtro repertum aſſerunt, ac fideliter de verbo ad verbum exſcribunt, confirmantque. Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Officiales, qui priuilegium eiuſmodi viderunt, palparunt, diligenter inſpexerunt, omnique vitio & ſuſpicione carere affirmarunt. Iudices cùm ab Eugenio 4. tùm à Concilio Baſil. deputatos, qui Briocenſem, Ambian. Brixin. Epiſcopos ex eiuſmodi priuilegio cõdemnarunt. Reges Chriſtianiſſimos, qui illud ratum habuerunt. Tot Apoſtolicos Notarios, ac ſacræ Theologiæ iuriumque

Magiſtros, qui priuilegij iſtius ſignificationi interfuerunt, ſubſcripſeruntque: mirum eſſet, inquã, hos omnes ad Simoniam tam apertam non aduertiſſe, ei ſe minimè oppoſuiſſe, imò ei penitus conſenſiſſe, executionique demandaſſe. Nonne tu maior es hiſce omnibus? aut Eccleſiæ Dei ad tua vſque tempora vera Simoniæ notio defuit?

Addit Inquiſitor quaſi ſerram egregiè reciprocando pag. 144. *Deinde propoſitio hæc, Abbatem & Conuentum Monaſterij Præmonſtratenſis ſpeciali affectione ſumus hactenus proſequuti, ad Alexandrum quid pertinet? & niſi annos, menſes certè multos pluſquam importat. Nondum menſes erant elapſi duo, cum datum eſt priuilegium.* Quaſi non potuerit affectione proſequi Præmonſtratenſes ante Pontificatum Alexander V. & paterno proſequi ſtudio non ceſſare in Pontificatu.

Momento 8. pag. 144. Sophiſtam agit, aut certè ſuppoſitiones terminorum ſe perhibet oblitum: *Alexander*, inquit, *Præmonſtratenſis Ordinis Abbates & Canonicos ab iuriſdictione ſua & obſequio eximit, quatenus Occidentis Patriarcha erat:* Quia nimirũ eximit à iuriſdictione quorumcunq; Patriarcharum, &c. quaſi hâc propoſitione, *cælum tegit*

Digitized by Google

omnia intelligeretur cœlum etiam ſeipſo tegi. Aut Rex Chriſtianiſſimus præcipiens Duci exercitus, vt nobiles omnes regni ſui ad bellum procedere cogeret; etiam ipſe, vtpotè nobilis, & nobilium nobiliſſimus, ab eiuſmodi Duce poſſet ad bellum cogi. Sed conceptum riſum quis poſſet retinere hæc audiens?

Momentum 9. pag. 146. Iterum eſt ab authoritate purè nagatiua. Bibliotheca Præmonſtratenſis immunitatis tabulam nullam contineat, quam Orientis Patriarchæ conceſſerint: ergo Præmonſtratenſes eiuſmodi tabulam nullam habent: vide an legitima ſit hæc conſequentia. Bibliotheca Præmonſtratenſis multa non habet, quæ hîc aduersùm te retuli, quorum archetipa à ſupremo Senatu, te monito & aduocato, ſunt approbata tanquam omni exceptione maiora: ergo hæc nulla ſunt; vide an ſequatur. Quamuis, ſi diligentiùs attentiúſque Bibliothecam peruoluiſſes, non vnicam ſolùm iſtiuſmodi tabulam in ea reperiſſes.

Momentum 10. Eâdem pag. negatiuum ſimiliter eſt, falſumque obtrudit. Nimirum in Ludouici 11. Diplomate nominatim exprimitur Alexander V.

Sed, etſi nominatim non exprimeretur, certè ſufficienter illâ particulâ dicti diplomatis *& nonnullos alios Romanos Pontifices* cenſeretur expreſſus: (vti ſufficienter expreſſi cenſentur Celeſtinus 2. Lucius 2. & 3. Eugenius 3. Adrianus 4. Vrbanus 3. Innocentius 3. Honorius 3. & alij nominatim ibidem non expreſſi, & quorum priuilegia Inquiſitor admittit:) præſertim cum in dicto diplomate ipſiſſima priuilegij Alexandri V. verba fusè referantur confirmenturque, vti conſtat collatione factâ.

Adde quòd licet Alexander V. nec expreſsè *ſuo nomine*; nec implicitè his verbis, *& nonnullos alios Romanos Pontifices*, in dicto diplomate recenſeretur; cum ea referat, approbetque, ac alicui ſummo Pontifici tribuat Rex Chriſtianiſſimus, quæ ex Inquiſitore nulli è ſummis Pontif. præterquam Alexandro V. tribui, concedive poſſunt: neceſſariâ conſequentiâ ſequeretur, à Rege Chriſtianiſſimo Alexandri V. priuilegium ſuſceptum probatumque: non enim ex nomine priuilegium concedentis expreſſo, ſed ex contentis in priuilegio expreſſis ratiſque habitis, priuilegij eiuſdem ſtat confirmatio.

Digitized by Google

Quæ momentis 11. & 12. euomit, adeò ſummis Pontificibus, Regibus, Epiſcopis ſunt iniurioſa, vt niſi ab infami Theologiæ Pariſienſis Apoſtata, & in antipaparum, imò antipodum partes turpiter deflectente pronunciari non potuerint: *priuilegium hoc* (ait pag. 146.) *bonis moribus omnino aduerſatur. Remiſſis habenis, quas antiquiores Pontifices adduxerant, ad contemptum virtutis, ad otium, ad negligentiam regulæ, ad vitiorum impunitatem patefacit viam.* pag. 148. *Vt religioſorum iuſta non ſunt vota & preces, quibus ab Epiſcoporum ſubiectione, & ſcripturis, & Eccleſiaſticis Canonibus ſancita liberari ſe poſtulant; ita iuſta non eſſent priuilegia, quibus liberarentur.* pag. 149. *Iniuſta forent priuilegia, quæ religioſis fræna laxarent, impedirentque ne illorum actiones curuæ à diœceſanis Epiſcopis corrigerentur.* pag. 150. *Vix fingi poſſunt quæ magis à rationis tramite diſcordent, quàm quæ in Alexandri priuilegio leguntur, & ſine ratione vlla conceduntur.* pag. 152. *Hæc formula percellit Alexandri V. priuilegium, in quo quæ dantur immunitates, nec ad religionẽ reſpiciunt, nec ad Eccleſiaſticam honeſtatem pertinent, quin etiam vtrique ſunt contraria.* Et ſexenta ſimilia inſana, truculenta, impia, quibus ſcatet ſeptem foliis integris momentum 12.

Obſeruandum verò, quò genius Inquiſitoris penitus agnoſcatur, nihil hîc ab eo *bonis moribus aduerſans*. Nihil *iniuſtum*, aut *viam ad virtutis contemptum patefaciens*, &c. ex priuilegio adduci, niſi quòd Regulares Epiſcopali iuriſdictioni correptionive ſubducantur: vnde quicumque Pontifices, quicumque Epiſcopi, imò & Bartholomæus ipſe Laudunenſes Epiſcopus (ſi verum eſt quartum inſtrumentum quod Inquiſitor ipſe laudauit cap. 2. pag. 32. in fine) qui Canonicos ſeu regulares ſeu ſæculares ab Ordinariorum poteſtate & correctione exemerunt. Concilia Oecumenica, vt Viennenſe, Baſileenſe, Tridentium, &c. quæ eiuſmodi exemptiones gratas ac ratas habuerunt. Sancti Bernardus & Anſelmus, qui Monaſteria ſua priuilegiis ſimilibus donari expetierunt, ac obtinuerunt. Imperatores ac Reges, ad quorum poſtulationem inſtantiamve ſeu Pontifices, ſeu Epiſcopi ſimiles immunitates conceſſerunt. Imò & ſupremi Senatus, qui ſuis Senatus-conſultis libertates eiuſmodi firmauerunt: Hi, inquam, omnes Launoico iudicio id fecere, *quod bonis moribus aduerſatur*, quod *iniquum eſt*, quod *ad virtutis contemptum viam aperit*, &c. nimirũ ſi quæ Ec-

Digitized by Google

cleſia diœceſanæ Eccleſiæ ſubducatur, vt Romanæ, *ad quam iure communi* (ex cap. ſi Papa. ſupra citato de priuil. in ſexto.) *Omnes Eccleſiæ per orbem diffuſæ pertinent*, ſubmittatur immediatè: ſi quis à diœceſani correptione liberetur, per ſeueriorem iudicem, à Romano Epiſcopo commiſſum diſtrictiùs caſtigandus; hoc ipſo per grande piaculum (ſi Launoio credimus) iura omnia, ſcripturæque vertuntur.

Sed putas (vir bone) ſi totius Cleri viſitatio inſtitueretur, inquireretur que ſedulò quinam diligentiùs fructuoſiúſve delicta caſtigarent, Officialeſne Epiſcoporum, an Regulares? Officiales palmam reportarent? certè minimè gentium. Nuper quidam Parochus de publico concubinatu conuictus ab Officiali punitus eſt ſolutione quadraginta librarum, & quater repetitâ ſeptem pſalmorum recitatione, ac remiſſus ad propria. Id ipſum cum regulari cuidam exempto eodem tempore accidiſſet; delicti grauitate à regulari ſuperiore cognitâ, reus ad Monaſterium vocatur, in carcerem coniicitur, proceſſus inſtituitur, conuictus virgis excipitur, reuocatur à beneficio, inhabilis ad alia declaratur, in Monaſterio fratrum vlti-

mus permanſurus. Vter fructuoſiùs caſtigauit? vter ad ſcandalum è medio populi tollendum, ſalutemque delinquentis procurandam efficaciùs? vter ad iura, Pontificiaque diplomata conformiùs?

Sed iterum (vir bone) verbum mihi liceat ad hominem proferre. *Poſt Alexandri tempus (* inquis initio pag. 150. *) Præmonſtratenſis Ordinis religio tam manifeſtè decreuit, ac deferbuit, & tam variè pollutus fuit virtutum ornatus, vt quærendi poſtea fuerint homines, qui priſtinam diſciplinam reducerent.* An ratione priuilegij Alexandrini id accidiſſe putas? ſi ratione priuilegij id accidit; ergo priuilegium ab Alexandro conceſſum fuit, quod tamen conſtanter pernegas. Si verò non accidit ratione priuilegij conceſſi, quod ex te nullum fuit, quid hæc ad Alexandrum, aut ad rem? niſi ad Epiſcoporum, quibus ex te tunc Ordo ſuberat, negligentiam propalandam, qui ſic omnia corrumpi ſiuerunt: vnde vel ex eo per Apoſtolicam authoritatem diœceſanæ iuriſdictionis abuſui ſubducendi erant.

Sed iterum, quæſo te, ſi *quærendi fuerint homines, qui priſtinam diſciplinam reducerent*; à quibus ſunt quæſiti? an ab Epiſcopis, qui vtendo iure ſuo, quà viſitando, quà re-

formando, res collapſas inſtaurarint? ſed vide vt viſitatio tùm à Baſileenſi Concilio, tùm ab Eugenio 4. Epiſcopis in Præmonſtratenſes fuit prohibita, iniuſtéque & illegitimè dicitur attentata. Vide igitur quàm ſit difficilè apertam veritatem diutius impugnare.

Sed & attende mendacem eſſe oportere memorem: tu enim ipſe, qui pag. 115. localem exemptionem tam apertè in Clementina quam tractabas expreſſam è medio auferre conando, hanc ex tripode decretalem emiſiſti: *tria ſunt omnino in quæ cadere poteſt vera immunitas vel exemptio; bona, perſonæ, actiones. Et cùm immunitas ſit vacatio à muneribus, & libertas ab oneribus, hæc tria ſarta tectaque ſeruantur, quando à bonis tributum nullum exigitur, quando perſonæ muneribus publicis aut priuatis non illigantur, quando in actiones & mores non inquiritur.* Hæc, inquā, dictâ pag. ſcripſiſti. (Contendēdo *Epiſcopū cum in exempti Monaſterij baſilica ſacrum facit ſuis ornatus inſignibus, Neophytos confirmat, & Ordines confert, iuriſdictionem nullam exercere; aut, ſi quam exercet, non eam exercere, quæ bona Monaſterij, vel perſonas, vel perſonarum actiones afficiat, in quæ cadere poteſt vera immunitas.*) Hîc autem tui ipſius dictorumq;

oblitus in fine pag. 160. ais, *quantùm ad bona Monaſteriorum, & perſonas attinet, in ijs duobus poteſt eſſe priuilegium* &c. *ſed priuilegiũ & à juriſdictione ſpiritali, & à morum correctione nulla dari poteſt immunitas & exemptio, quæ cum illis formulis & legibus facilè concordet.* Hæc igitur duo concilia, ſi potes, *tria ſunt, in quæ cadere poteſt vera immunitas, bona, perſonæ, actiones: duo tantùm ſunt, quoniam à morum correctione nulla dari poteſt immunitas. In actiones moreſque cadere poteſt vera immunitas: à morum correctione nulla dari poteſt immunitas.*

Poſt hanc verò tam apertam contradictionem cuculus noſter, dictorum à ſe admiratione in ſtupidum pauonem verſus: *Hæc eſt*, inquit initio pag. 161. *vnica diſtinctio veriſſima & fundatiſſima* (quippe ea quã pro decretali dederat p. 115. tria aſſerendo omnino eſſe, in quę cadere poterat vera exẽptio, nulla eſt.) *Quæ quidquid eſt pro certo tenendum in priuilegijs, in exemptionum & immunitatum tabulis, comprehendit.* Certè nulla eſt inſaniens arrogantia niſi hæc eſt. Sed vndenam, & quibus ex tabulis elicuerit, *bonorum, perſonarumque exemptionem* ſacris eſſe Canonibus, ac praxi conformiorem, minúſve repugnantem, quàm ſit locorum

& actionum ſeu morum exemptio, ipſe edifferet, cum didicerit; aut certè breui omnem omnino exemptionem negabit; ſic enim ſuperbia eorum qui apertam veritatem impugnant ſolet aſcendere, vt ſi quid occurrat, vnde ſe facilè expedire non poſſint, id audacter negent. Per hos gradus jam Inquiſitor aſcendit pag. 115. locorum exemptionem, hîc actionum negans; vbi ſe offeret occaſio, bonorum, perſonarumque negaturus.

Momento 13. deceptus eſt Inquiſitor circa Innocentij 3. diploma; vel certè decipere voluit: *Innocentius*, ait pag. 162. *caſſa & irrita declarat priuilegia, quæ aduersùs communia Ordinis inſtituta impetrantur*: Nimirum à quibuſdam particularibus, (cujuſmodi erant Abbates illi Saxoniæ, ad quos ſcribit Innocentius.) Vnde cum Alexandri V. priuilegium in nullius particularis fauorem, eiuſve à communibus inſtitutis exemptionem; ſed ad omnes omnino Præmonſtratenſis Ordinis alumnos nullo penitus excepto extendatur, atque omnibus & ſingulis communia inſtituta præſcribat; patet nonniſi præpoſterè ab Inquiſitore atque intempeſtiuè hîc Innocentij 3. diploma fuiſſe obtruſum: Verba Innocentij

Digitized by Google

hæc ſunt: *Quia igitur hoc (* nimirum ad Capitulum generale non proficiſci ſingulis annis) *in diſſolutionem Ordinis non eſt dubium redundare, vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & diſtrictè præcipimus, vt cum in priuilegiis generali Capitulo Præmonſtratenſi ab Apoſtolica Sede indultis contineatur expreßè, ne quis Ordinem ipſum profeſſus contra communia inſtituta priuilegium impetrare præſumat, vel impetratum audeat retinere, priuilegio, quod vos à Sede Romana obtinuiſſe aſſeritis, non vtamini.*

CAPVT. XVI. AD XV.

INQVISITIONIS RESPONDENS.

Tria Inquiſitoris momenta frigida, non in Præmonſtratenſes, ſed in Apoſtolicam Sedem ructata.

SVSPICIONEM omnem tùm falſitatis, tùm ſuppoſitionis, ſubreptionis & obreptionis ab Alexandri V. priuilegio ſuperiori capite relato ac propugnato ſic arcet ejuſdem Alexandri priuilegium poſterius, prioris illius confirmatiuum, præcedenti

cap. relatum, à Ioanne 23. Eugenio 4. & Concilio Baſileenſi aſſertum atque confirmatum, Officiali Laudunenſi ante ducentos quadraginta annos juridicè exhibitum, probatumque, vt deſierit inter homines Inquiſitor neceſſe ſit, cum contenta hoc in capite ſcripſit.

Sed videamus quàm grauia momenta veritati ſic firmatæ & apertæ opponat. *Primum*, ait. pag. 163. *Sumitur ab Exemplo. Alterum* pag. 166. *Comparatur ex opinione falſa, in quam ab aſſentatoribus nonnullis nonnulli adducti ſunt Pontifices. Tertium* pag. 171. *Comparatur ex tribus*, nimirum ex ipſiuſmet priuilegij, ex beati Bernardi, ex Petri Bleſenſis verbis.

Exemplum ſic ſe habet. *Alexander V. ſtatim atque creatus eſt Pontifex, Mendicantibus conceſſit priuilegium, quod Pariſienſi Eccleſiæ & Academiæ offenſionis attulit plurimum. Cancellarius in Pariſienſi Eccleſia concionem habuit, quà priuilegij iniquitatem & ſubreptionem oſtendit, & Alexandrum pro eo quantum potuit excuſauit. Quod Pariſienſis Epiſcopus, & vniuerſitas de Bulla Mendicantium dixerunt, id non Pariſienſis modo, ſed & reliqui Epiſcopi de Bulla Præmonſtratenſium affirmare pari, quin etiam potiori iure poſſunt. Præter machinas*

à Mendicantibus adhibitas: Præmonſtratenſes fortè conuenerunt Curiæ Notarios, quomodo eos conueniebant Ordinis S. Benedicti Abbates nonnulli.

Cetè exemplum iſtud Inquiſitoris ignorantiam, malignum in ſummos Pontifices affectum, ratiocinandi vim emortuam oſtendit. Et quod ad primum attinet, norunt omnes Bullam hanc, aduerſùs quam ſermo iſte Gerſoni falſò aſcriptus dicitur decantatus, fuiſſe veriſſimam, æquiſſimam, atque vt talem à Concilijs Conſtantienſi & Baſileenſi habitam, quidquid in oppoſitum moliti ſint in vtroque Concilio quidam Antiregularium deputati. Ita referunt duo celeberrimi Pariſienſis Academiæ Doctores, Ioannes Major in 4. ſent. diſt. 17. q. 7. con. 2. & Iſambert. in 3. p. D. Thom. tract. de pœnit. diſp. 20. art. 3. quorum prior hæc habet: *Alexander V. manutenuit Clementinam Dudum. addendo aliqua in ſua Extrauagante, quæ incipit, Regnans in excelſis. quæ Extrauagans fuit petita reuocari in Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi, ſed nihil obtentum eſt.*

De 2. res ipſa loquitur: enimverò quomodo non peſſimè in ſummos Pontifices affectus, qui obuia quæque, proiectæ

licet fidei, incertorumque authorum commenta, impudenter & proteruè aduersùs Petri Cathedram iactata ſic ſedulò colligit, vt quà datâ, quà quæſitâ occaſione, de capaci mentis exaſperantis promptuario vbique paſſim effundat. Hæc-quis enim litteratorum neſcit, ſermonem hîc ab Inquiſitore laudatum falsò fuiſſe à Launoij ſimilibus Gerſoni aſcriptum? frequenti temeritate, erroribus propemodùm innumeris, nugis anilibus refertum; ſenſu paſſim deſtitutũ; Venerabilis authoris pietati, moderationi, doctrinæ, genio, atque ingenio penitus oppoſitum; multo ſtromate ſeu rebus non cohærentibus, atque à Concionis materia plurimùm alienis diſtinctũ diſſutumque? quæ quidem omnia ſermonẽ inſpicienti, volenti nolenti patebunt. Sed Launoio ſatis fuit quædam in iſto ſermone tùm in Apoſtolicam Sedem, tùm in religioſos Ordines contineri, vt pro magno hîc obtruderetur.

Verùm (vt ad 3. veniam è propoſitis caput, modum videlicet ratiocinandi hebetem & obtuſum Inquiſitoris) Bulla Mendicantium fuerit extorta, nec ſermo ſuppoſitus: Ideone neceſſariâ conſequentiâ ſic ab exemplo Launoico ductâ

Præmonſt.

Præmonſtratenſium diploma extortum iudicandum eſt? Si presbyter neſcioquis ante duos annos flammis dignus eſt iudicatus ſententiâ Iudicis: Ideone ſequitur, ratiocinio ab exemplo ducto, Launoium Presbyterum illo-ipſo tempore flammis dignum iudicari debuiſſe?

Diſcat igitur Inquiſitor quòd *allegare nihil & allegata ſic probare, paria ſunt.* Diſcat quod *dolus non ex præſumptionibus* (quales prætereà hîc nullæ ſunt) *ſed ex perſpicuis indiciis probari debet*, L. Dolum. C. de dolo. Diſcat à Rhetoribus Rhetoricam oblitus, argumento illo, quod *Exemplum* dicitur, quomodo ſit vtendum, eſſeque perditiſſimæ conſcientiæ probatorum vitam moreſque ſanctiſſimos ſic temerè (quod & denotat particula illa *fortè* quâ vtitur Inquiſitor) ſine fundamento, ſine cauſa maledictis imposturiſque reſpergere. Scilicet ſi impoſuiſſe ſatis eſt, vt quis nocens habeatur, nec Innocentiæ Author ipſe innocens erit. Sed nemo eſt qui anguem in herba latentem non videat. Iacula ſunt ex Antipaparum officinis eruta, non Ordinem Præmonſtratenſem (vt notum eſt) ſed ſummos Pontifices, ſi quid illa valerent,

ferientia. Loci communes, quibus Burdinus noſter frequens abutitur, quibus etiam ſanctiſſima exploratiſſimaque Pontificum decreta ſic ab exemplo ſolet impetere: veris Eccleſiæ filiis multùm abſimilis, quorum hæc eſt interior affectio, hæc vox cum Carolo Magno diſt. 19. cap. In memoriam. *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus ſanctam Romanam & Apoſtolicam Sedem, vt licet vix ferendum ab illa Sede imponatur iugum, tamen feramus, & piâ deuotione toleremus.*

Porrò quàm verum ſit, non Pręmonſtratenſium hoc in Capite, ſed ſummorum Pontificum cauſam agi; patet euidentiùs ex momento 2. pag. 166. in quo de Præmonſtratenſibus, aut Alexandri priuilegio ne verbum quidem: ſed totum, quàm longum eſt, ad hoc duntaxat eſt aptum natum, vt ſiniſtra de ſummis Pontificibus etiam ſanctiſſimis opinio lectorum mentibus ingeneretur. *Eò ſint adducti ab aſſentatoribus nonnullis nonnulli Romani Pontifices, vt crederent, ſibi licere quidquid luberet:* Ergone huc omnes adducti ſunt? ergone huc adductus eſt Alexander, vir, ex te, ſcientiæ claue præditus, prudens, bene moratus, ſanctiſſimus, atque Eccleſiæ Romanæ morum

inſtitutorumque cuſtos fideliſſimus ? ſed vide quæ hîc ſcribis pag. 166. quàm parum conſentiant iis, quæ pag. 17. De ſummis Pontificibus aſſeruiſti; *te* nimirum *ſcire Pontifices omnes ad bonum Eccleſiæ totius creatos eſſe, & in illud diligenter incumbere.* Ergo quæ hîc dicis, contra ſcientiam conſcientiamque dicis.

Momento 3. pag. 171. Verba priuilegij Alexandrini à ſe non intellecta: verba beati Bernardi de quorundam Ciſtercienſium Abbatum ambitione ac arte ſibi comperta & explorata conquerentis, ad Præmonſtratenſes, (qui nihil vnquam ſimile admiſerunt,) præpoſterè à ſe atque iniuriosè tranſlata, toties ineptè & inſipidè decantata, iterum importunè repetit: ac denique longam de Richardo Cantuarienſi Archiepiſcopo inuerecundè, impudenter & proteruè in propria cauſa, (nimirum ratione Monaſterij ſancti Auguſtini ſuæ poteſtati ſubducti, & Pontificiæ ſubditi.) Pontificem maximum alloquente, texit hiſtoriam; quaſi de Richardi inſolentia apud cordatos homines labefactari poſſet ſanctiſſimæ authoritatis integritas: aut ex verbis Malmiſburienſis Abbatis (ſi fortè vera ſunt, nec ſuppoſita)

Digitized by Google

omnes & ſinguli ſingulorum religioſorum Ordinum Abbates iure culpari poſſent, eiſve illa poſſent vitio quoquo modo verti. Certè cerebrum illud ſit ipsâ infirmitate debilius, *cui hæc momenta ponderant, nedum cui vt ſuperpondium accedunt.*

Cæterum, ais, *in libro 3. Bibliothecæ refertur aliud priuilegium Alexandri V. quod, exceptis derogationibus*, (addere debebas, & labe ſimoniacâ, quippe in eo nulla florenorum fit mentio) *eſt penè idem ac præcedens, eam ob cauſam illud prætermittis, quia iiſdem argumentis oppugnari poteſt*, pueriliter quidem; at non expugnari, aut vlla in parte eius authoritas imminui.

Digitized by Google

CAPVT XVII. AD XVI. CAP. INQVISITIONIS RESPONDENS.

Locorum noſtrorum exemptio aſſeritur, Inquiſitoris obiectiones diſſoluuntur.

CONSTANS eſt ex ſuperioribus capitibus, ac quouis termino immobilior hęc propoſitio; Alexandri V. priuilegium eſſe veriſſimum, nec ſuppoſititium, nec ſubreptitium, obreptitiumve; ſed germanum, ſincerum, omni prorsùs vitio ac ſuſpicione carens; ab Alexandri ſucceſſoribus, Conciliis Oecumenicis, & Iudicibus ab vtriſque deputatis: ab Illuſtriſſimis Antiſtitibus, eorumque Officialibus: à Regibus Chriſtianiſſimis, ſupremiſque Senatibus tale iudicatum: conſuetudine inſuper atque vſu ducentorum quinquaginta annorum minimè interrupto vt tale receptum. Videndum modò cum Inquiſitore vtrum illius priuilegij vigore ac virtute noſtri Sammartinenſes iure potuerint im-

pedire (iis potiſſimùm quibus impediuere modis) ne Laudunenſis Epiſcopus in Eccleſia Sammartinenſi populo benediceret ; ne Pontificiis decoratus inſignibus Miſſam ibi celebraret ; ne Confirmationem, Tonſuram, & ſacros Ordines ibidem conferret (eo præſertim modo, quo conferre intendebat.)

Id autem vt breui conficiam, vnum exiſtimo notandum eſſe, de quo omnes conueniunt : poſſe nimirùm aliqua diſertè & explicitè in lege contineri dupliciter: primò terminis particularibus, factâ euidenti omnium omnino ſpecierum, indiuiduorum, circumſtantiarum enumeratione : ſecundò terminis vniuerſalibus quælibet inferiora, ſeu indiuidua ſufficientiſſimè continentibus.

Pauciſſima ſunt quæ priori modo diſertè & explicitè contineantur in legibus : enimverò humanum captum id videtur excedere, vt ſic omnia, ſeu pręcipiendo, ſeu prohibendo diſtinctè, ſigillatim, ſufficienter enumerentur. Præterquam quod ſuperfluum videretur & vanum, tam multis ea exprimere, quæ verbo vnico, omnia complectente, æquè appoſitè ſignificari poſſunt. Modi prioris exemplum haberes

Exodi vigeſimo, vbi dicitur; *non concupiſces rem proximi tui, non vxorem, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum*, ſi quæcumque proximi eſſe poterant Scriptura addidiſſet. Modo vero poſteriori, ſeu terminis vniuerſalibus leges omnes, ſeu priuatæ, ſeu communes; ſeu Ciuiles, ſeu Eccleſiaſticæ; ſeu humanæ, ſeu diuinæ poſitiuæ concipiuntur; ſic, cum Exodi 20. prohibetur ſabbati violatio, iſta prohibitio fit terminis vniuerſalibus, *omne opus non facietis in eo*, nec fit deſcenſus ad eas omnes laborum, operum ſeruilium, negotiorum ſpecies, quibus ſabbatum violari poteſt. Sic cum Rex aliquem eximit ratione officij vel dignitatis ab authoritate & iuriſdictione Iudicum locorum, non recenſentur in litteris exemptionis ij omnes in ſpecie actus, quos poſſet iſta Iudicum authoritas in ipſum exercere; ſed terminis generalibus iſta exemptio continetur. Hoc poſito.

Reſponſio in promptu eſt, nec difficilis, aut longè quærenda eius aſſertio. In baſilica Saminartinenſi Laudunenſis Epiſcopus nec populo ſuo ritu ſolemni benedictionem impertire; nec in Pontificalibus ſacra facere; nec Confirmatio-

nem, Tonſuram, aut ſacros Ordines, illæſo Pontificis diplomate, conferre potuit. Nimirum Alexandri V. diplomate *perſonæ*, *loca*, *poſſeſſiones* Præmonſtratenſium conceptiſſimis verbis ab omni diœceſanorum *ſuperioritate*, *dominio*, *iuriſdictione*, *viſitatione*, *& iuriſdictionalium præſtatione* plenariè eximuntur, totaliter liberantur, ac ſoli Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiiciuntur: atqui *populo benedicere*, *celebrare in Pontificalibus*, *Ordines conferre*, ſuperioritas eſt & iuriſdictio: ergo ab iis Præmonſtratenſium *perſonæ*, & *loca* penitus eximuntur, ac totaliter liberantur.

Huiuſce demonſtratiui ſyllogiſmi maior ex Alexandri diplomate concepta eſt. Minor confirmatur partim ex Clementina ab Inquiſitore relata, vbi *benedictio ſolemnis & in Pontificalibus celebratio* iuriſdictio appellantur; partim ex communi Canoniſtarum conſenſu, qui conſtantiſſimè aſſerunt, Chriſmationem, atque Ordinum collationem notam eſſe maximam diœceſanæ iuriſdictionis *in loca*, in quibus conferri poſſunt; eamq; ob cauſam diſtrictiſſimè iure prohiberi, ne in locis ſibi non ſubditis aut in aliena diœceſi ea quiſquam Epiſcoporum operetur.

Digitized by Google

Fortè non diſplicebit propoſitionem noſtram communi hoc dialecticorum effato vlteriùs confirmari. A quocumque remouetur genus, remouetur & quælibet generis ſpecies: ſic cuicunque conuenire non poteſt animalis ratio, nec hominis aut bruti ratio conueniet: atqui ab Epiſcopis remouetur omnis in Præmonſtratenſes juriſdictio; ergo & quælibet juriſdictionis ſpecies, cuiuſmodi eſt benedictio, & celebratio in pontificalibus ex Clementina ſæpius laudata.

Sed hæc quid vrgeo, cum ex ſola locorum Præmonſtratenſium exemptione, eorumve ſoli Sedi Apoſtolicæ immediata ſubiectione ſint apertiſſima. Nimirum hæc exemptio atque ſubiectio loca transfert in alienam, puta in Romanam diœceſim, vt nihil in eiuſmodi locis diœceſano liceat, niſi quod liceret in aliena diœceſi. Quemadmodum igitur in vicina diœceſi Epiſcopus nec populo ſuo, etiamſi præſens adeſſet, benediceret; nec in Pontificalibus celebraret, nec Ordines conferret, niſi de conſenſu & licentia proprij Epiſcopi: ita nec in locis Epiſcopo Romano ſubjectis hæc præſtabit diœceſanus Epiſcopus, niſi de conſenſu & placito Superioris regula-

ris, cui Romanus Pontifex proprij juris in hac parte tuitionem commiſit. Quemadmodum ſi Fara ciuitas, quæ Laudunenſi Epiſcopatui ſubdita modò eſt, ad Nouiomenſem Epiſcopatum transferretur (vti Pontificiâ authoritate poteſt transferri) tunc in ea Laudunenſis Epiſcopus nec populo benedicere, nec Ordines conferre inuito Nouiomenſi Epiſcopo præſumeret.

Atque hunc in modum locorum Præmonſtratenſium ab Epiſcopali juriſdictione exemptionem intellexere Antiſtites Illuſtriſſimi Rhemenſis, Ambianenſis, Margacenſis, Sueſſionenſis, Claromontenſis, quorũ acta vidimus cap. 15. quiq; in ejuſmodi locis ne quidem pernoctare, imò ne ad illa intrare ſibi licere, niſi de noſtrorum conſenſu & voluntate, publicè ſunt proteſtati; &, quod notandum, etiam ante tempora Alexandri V. Quibus quidem ex actis conſtat hanc fuiſſe prædictorum, hanc eſſe debere omnium Illuſtriſſimorũ Epiſcoporum mentem; nihil omnino ſibi licere in locis noſtris, quod juriſdictionem quacumque tandem ratione vel tantiſper redoleat.

In hunc modum ſimiliter intellexit priuilegiorum noſtrorum Apoſtolicâ autho-

ritate Conſeruator deputatus, ſententiâ ſuâ in fauorem Canonicorum noſtrorum Monaſterij de Perrodio-Nouo diœceſis Andegauenſis, aduerſùs Officialem Archidiaconi Andegauenſis, ipſumque Archidiaconum, in Capella de Boſco Ranulphi ab eodem Monaſterio diſſita & dependente viſitationis officium exercere nitentem, ac domeſticos prohibere volentem, ne Sacramenta Eccleſiaſtica intra dictam Capellam reciperent.

[Arturus de Vaudetar in vtroque jure Licentiatus, Decanus Eccleſiæ Collegiatæ ſancti Marcelli prope Pariſios, viceſgerens V. in Chriſto Patris Domini Abbatis Monaſterij ſanctæ Genouefæ Pariſienſis, Ordinis ſancti Auguſtini, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Iudicis & Conſeruatoris, vnà cum quibuſdam alijs &c. priuilegiorum Religioſis & honeſtis perſonis Abbati & Conuentui Monaſterij Præmonſtratenſis Laudunenſis diœceſis, necnon Abbatibus, Abbatiſſis, ac Monialibus, & eorum Conuentibus vniverſis, alijſque Decanis, Prioribus, Canonicis, Conuerſis, Donatis, atque locis & membris eidem Monaſterio ſubiectis, à ſancta Sede Apoſtolica indultorum ab ea-

dem Sede ſpecialiter deputati, omnibus Presbyteris, Vicarijs, Curatis & non Curatis, cæteriſque Eccleſiarum Rectoribus, ac Tabellionibus publicis, & alijs Notariis vbilibet conſtitutis, ad quem, ſeu quos noſtræ præſentes litteræ peruenerint, Salutem in Domino, & mandatis noſtris, imò veriùs Apoſtolicis firmiter obedire. Ex parte Venerabilium & Religioſorum virorum Dominorum Abbatis & Conuentus Monaſterij beatæ Mariæ de Perrodio-nouo, prædicti Ordinis Præmonſtratenſis Andegauenſis diœceſis, Nobis fuit grauiter conquerendo expoſitum, quòd licet inter cętera priuilegia eiſdem Abbatibus, Abbatiſſis, Monialibus, & eorum Conuentibus vniuerſis, alijſque Prioribus, Canonicis, Conuerſis, Donatis, & Membris eidem Monaſterio ſubjectis, à ſancta Sede Apoſtolica indulta & conceſſa, fuerit & ſit eiſdem indultum & conceſſum quod ipſi Abbates, Abbatiſſæ, Moniales, eorum Prioratus, Conuerſi, Donati, & ſinguli Religioſi, eorum ſeruitores, hoſpites, familiares, & perſonæ in ambitu ſuorum Monaſteriorum, & Prioratuum commorantes, cum ſuis Prioratibus, Eccleſiis, Capellis, domibus, Monaſterijs,

& locis fuerunt, prout ſunt à iuriſdictione quorumcunque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, eorum Officialium, Archidiaconorum, & aliorum Iudicum ordinariorum & extraordinariorum, exempti & exempta: ſic & taliter, quòd ipſi Archiepiſcopi, Epiſcopi, eorum Officiales, & alii Iudices ordinarii & extraordinarii minimè poſſunt, aut debent ſupradictos Abbates, Abbatiſſas, Moniales, Religioſos, Priores, familiares, Donatos, & perſonas prędictas in ſuis Monaſteriis, Prioratibus, & ambitu eorumdem commorantes ratione contractus, domicilij, delicti, rei de qua agitur, vbicumque committatur delictum, iniatur contractus, & res ipſa exiſtat, ad judicium euocare ſeu trahere, aut trahi facere coram ipſis, necnon eoſdem monere, mulctare, eorumve Monaſteria, Prioratus, Capellas, & alias Eccleſias ſibi ſubiectas viſitare aut viſitari facere, necnon ratione huiuſmodi viſitationum procurationes ab eiſdem exigere & extorquere, aut quamcumque juriſdictionem in eos, & loca eorum ſupradicta exercere: poſſintque & valeant ex indulto Apoſtolico ſibi conceſſo, ſuis familiaribus, domeſticis, Donatis, & Conuerſis

in ſuis Prioratibus, Monaſteriis, Capellis & Eccleſiis domorum Sacramenta Eccleſiaſtica, dum tempus ſubeſt, miniſtrare; & quibus priuilegiis gauiſi fuerunt & ſunt dicti Religioſi & perſonæ ſupradictæ à tali & tanto tempore, quod non eſt hominum memoria; & quod Vicarii, Promotores, ſeu procuratores Archidiaconi Andegauenſis præmiſſa ſciuerint fore & eſſe vera; & quemdam vocatum Robert fore & eſſe familiarem dictorum conquerentium, & in quadam domo ſita infra ſepta Capellæ, vulgariter appellatæ beatæ Mariæ de Boſco Ranulphi, ab eorum Monaſterio dependentis & eidem ſubjectæ, commorantem, & ſic à juriſdictione dicti Archidiaconi, & alterius cuiuſcumque Iudicis exemptum. Nihilominus tamen præfatus Dominus Archidiaconus Andegauenſis, ſeu eius Vicarij aut procuratores ſeu Promotores *dictam Capellam de Boſco Ranulphi viſitare, & officium viſitationis in eadem exercere*, *atque procurationem ratione huiuſmodi viſitationis ab eiſdem conquerentibus exigere niſi fuerunt & nituntur, præfatum Robert ſua Sacramenta Eccleſiaſtica alibi*, *quàm infra dictam Capellam ab alieno Sacerdote recipere & percipere cogere nituntur*; & huius ratione eum-

dem Robert Officialis Archidiaconi Andegauenſis inſtantibus procuratoribus,ſeu Promotoribus eiuſdem Archidiaconi , coram ſe in cauſam trahi fecerunt , & de cauſa huiuſmodi dictus Officialis Archidiaconi cognoſcere & decidere nititur ,in preiudiciũ exemptionis & priuilegiorũ dictis Religioſis à dicta Sede Apoſtolica indultorum & conceſſorum,ſupplicantibus in pręmiſſis ſibi per nos de remedio prouideri oportuno. Vnde cum noſtra interſit dictos Religioſos & perſonas ſupradictas tanquam Subconſeruator dictorum priuilegiorum in ſuis priuilegiis & prærogatiuis tueri & deffendere,iuſtitiâ mediante. Vobis omnibus & ſingulis ſupradictis in virtute ſanctæ Obedientiæ , & ſub pœnis ſuſpenſionis & excommunicationis , quam vel quas in vos & veſtrûm quemlibet feremus , niſi feceritis quod mandamus, diſtrictè præcipiendo mandamus quatenus ad huiuſmodi mandatum noſtrum exequendum alter veſtrûm alterum non expectet , ſi vobis conſtiterit præfatos conquerentes, aut eorum Procuratorem cum dicto Robert adiunctos eſſe, aut ſe adiungere velle , ad dictum Officialem Archidiaconi , Vicarios , & Procuratores

eiuſdem Archidiaconi accedatis, ipſoſque, & quemlibet ipſorum ex parte noſtra, imò veriùs Apoſtolicâ, requiratis diligenter & moneatis, quos & quemlibet ipſorum in his ſcriptis requirimus, & monemus primò, ſecundò, tertiò, & quartò ex ſuperabundanti ac vna monitione peremptoria pro omnibus, vt à proſecutione dictæ cauſæ dicti Vicarij & Procuratores Archidiaconi præfati, coram ipſo Officiali ipſiuſque cognitione, dictus Officialis Archidiaconi ceſſent penitus & deſiſtant, & eorum quilibet ceſſet & deſiſtat; & nihilominus ipſam cauſam coram eodem Officiali motam, ſeu moueri ſperatam inter dictos Vicarios, Promotores, & Procuratores dicti Archidiaconi Actores ex vna parte, & dictum Robert ac dominos Conquerentes, aut eorum Procuratorem cum dicto Robert adiunctum in hac parte, ex altera parte; nobis remittat præfatus Officialis, & id fieri procurent dicti Vicarij, Promotores, & Procuratores dicti Archidiaconi, in ſtatu in quo erit coram eo inter præfatas partes tempore monitionis, & requiſitionis huiuſmodi ſibi factæ, certum peremptorium terminum & competentem partibus antedictis

dictis præfigentes , & aſſignantes proceſſuris coram nobis in ipſa cauſa ſecundùm dictum eius ſtatum , prout de Iure fuerit procedendum, ſub pœnis excommunicationis, & centum marcharum argenti nobis & dictis conquerentibus , ſi contrafecerint ; mediatim ſoluendarum; alioquin ſupradictum Officialem , Promotores, Vicarios , & Procuratores dicti Domini Archidiaconi Andegauenſis dictas pœnas incurriſſe declarabimus , & aliàs vigore dictorum priuilegiorum contra ipſos, & quemlibet ipſorum procededemus, iuſtitiâ mediante, niſi cauſam , ſeu cauſas in contrarium allegare voluerint , cur ad remiſſionem prædictam faciendam minimè teneatur idem Officialis , & alia præmiſſa teneantur iidem Promotores, Vicarij, & Procuratores. Ad quas allegandas, ſi quas prætenderent , aſſignetis eiſdem, & eorum cuilibet diem trigeſimam à data executionis præſentium computandam , apud dictum Monaſterium ſanctæ Genouefæ coram nobis, niſi, &c. alioquin, &c. dictas cauſas allegaturis, oſtenſuris, & ſi neceſſe ſit, probaturis. Et nihilominus caſu quo ſupradictus Officialis cauſam huiuſmodi coram nobis remittere recu-

Digitized by Google

ſauerit, vobis & veſtrûm cuilibet in ſolidum tenore pręſentium concedimus authoritatem & poteſtatem ipſam cauſam coram nobis remittendi, ac partibus prędictis terminum prædictum triginta dierum à tempore executionis præſentium præfigendi & aſſignandi, niſi, &c. proceſſuris vlteriùs in eadem cauſa coram nobis prout de iure fuerit procedendum. *Inhibentes nihilominus ex parte noſtra, imò veriùs Apoſtolica ſupradictis Officiali, Vicariis, Promotoribus, & Procuratoribus præfati Archidiaconi Andegauenſis ſub pœnis antedictis, ne in præiudicium remiſſionis huiuſmodi per vos ſic faciendæ, cauſaque & dilatione pendente, aliquid innouent, immutent, vel attentent, aut id fieri faciant, ſeu procurent quouis modo.* Mandatum autem noſtrum huiuſmodi ad perſonas ſupradictorum Officialis, Promotorum & Procuratorum dicti Archidiaconi Andegauenſis, ſi commodè fieri poterit, & ad eos tutus vobis pateat acceſſus, alioquin per affixionem copiæ præſentium ad originale debitè collationatæ Waluis Eccleſiæ Cathedralis Andegauenſis, vel alterius proximioris Eccleſiæ, infra quarum limites moram trahunt ipſi Officialis, Promotores, & Procuratores exequamini

diligẽter. Et quid inde feceritis nobis fideliter reſcribatis. DATVM Pariſiis ſub ſigillo Curiæ Cõſeruationis dictorum priuilegiorum, anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo, die decima ſeptima menſis Auguſti. Sic ſignatum I. Souchard cum parafo & ſigillo ſano & integro ex cera viridi de membrana dependente.]

Et verò illa loca quomodo non penitus totaque exempta, quæ ſic à tot ennumeratis ſummis Pontificibus etiam ab initio ſunt conſtituta, vt nec generalibus Interdictis, nec quibuſcumque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, aut Sedis Apoſtolicæ Legatorum ſententiis ſubiaceant; ſed in iis tempore publici Interdicti inuito Epiſcopo diuina celebrare, & Ordines ſacros à quocumque Epiſcopo tranſeunte recipere liceat? nonne hæc ſunt localis exemptionis ſigna quam maxima?

Obiicit primò Inquiſitor pag. 180. quòd *cum ſingulis annis Dominica in ramis palmarum aduenit, Laudunenſis Clerus ad Eccleſiam Monaſterij ſancti Martini ſupplicationem habet. Ibi ſi adeſt Epiſcopus populo bene precatur, & ramos palmarum conſecrat, &c.* Sed quid tùm poſtea, cum precariò id fiat? nec enim id in more poſitum erat antiquis, ſed ante

Digitized by Google

annos non bene multos hæc ſupplicatio habebatur ad Eccleſiam Monaſterij ſancti Ioannis Ordinis ſancti Benedicti : contigit autem anno quodam , ab Abbatis Commendatarij (qui ad hæreticorum partes abierat) domeſticis tumultum excitari, ſupplicationemque turbari ; quod Epiſcopus, atque inſignis Eccleſiæ Canonici indignè ferentes, Abbatem Sammartinenſem per deputatos adeunt, rogantque per ipſum ſibi ac populo liceat in poſterum ad Sammartinenſe Monaſterium ſupplicationem habere , atque in cohorte , ſeu area Abbatiali ramos conſecrare. Annuit Abbas Cleri populique poſtulationibus : vnde per aliquot annos habitus eſt ad eiuſmodi aream Cleri ac populi concurſus, factaque inibi ramorum conſecratio , ac concio ad populum ſub dio habita. Viſuntur vſque hodie veſtigia lapidei ſuggeſtus è quo concio iſta fiebat. Donec tandem humaniſſimus Abbas Clero ac populo, qui pluuiis , grandinibus , cæteriſque aëris incommodis interea temporis expoſitus orabat, ex affectu compatiens , ſupplicationem vltrò in Eccleſiæ nauim admiſit , vti ſingulis annis admittitur. Cæterùm ſi ex hac *in nauim* admiſſione , ramorumque

Digitized by Google

in ea conſecratione colligere liceat aliquid iuris aut iuriſdictionis Epiſcopo in Sammartinenſes competere; cùm noſtri certis anni diebus non modò in Cathedralis Eccleſiæ *nauim*, ſed *in chorum*, ſed *ad Altare majus*, Miſſam ſolemniter, officiumque reliquum peracturi, admittantur, nunquid eis multò plus iuris iuriſdictioniſve in inſignis Eccleſiæ Canonicos competere vel ex hoc colligendum erit?

Sed, vt verum fatear, eiuſmodi locorum commodationibus nec Canonicis in noſtros iuriſdictio vlla comparatur, nec noſtris in Canonicos ius vllum acquiritur: tales enim ſupplicationes, exterioreſve ceremoniæ, atque Eccleſiarum momentaneæ, mutuæ, vltroneæ ceſſiones nuſquam iuriſdictionis ſigna ſunt habita, ſed Chriſtiani fœderis, fraternæ charitatis, ſocietatis ad inuicem, ac denique communionis inter ſanctos militantis Eccleſiæ, ad ædificationem corporis Chriſti monimenta adinuenta. Niſi fortè quis putet inſignem inter Pariſienſem Eccleſiam & Eccleſiam ſanctæ Genouefæ, ſimileſque in Gallia ſexentas, ex annuis iſtiuſmodi ſupplicationibus germanam argui poſſe iuriſdictionem; quod mortalium contendet

Digitized by Google

nemo, niſi Launoico ſpiritu actus, ſtatimque Regum Chriſtianiſſimorum edictis, decretis ſupremorum Senatuum, ac populorum perſuaſione caſtigandus explodenduſque.

Quod ibidem addit Inquiſitor: *ſi abeſt Epiſcopus, Laudunenſis Eccleſiæ Decanus; vel ſi abeſt Decanus, hebdomadarius Presbyter ramis benedicit.* Rem non iuuat, cum noſtrorum omnino nullus ibi comparere ſoleat: ſi verò ſuperiorum quis præſens adeſſe velit, is palmarum ramis impertit benedictionem. Quod quidem ante annos non bene multos præſtitit Iacobus Burgeſius Prior Sammartinenſis præſente Decano. Quod & ſæpius Abbas, quoties nimirum præſens interfuit.

Obiicit 2. pag. 181. & ſeq. è Laudunenſis Epiſcopi non excuſſo tabulario purgamenta quamplurima, quæ ipſe natiuum verſoris officium repetens collegit, atque hîc, lectorum ſuorum conditioni nihil parcens, imprudenter & inuerecundè coaceruauit octo paginis, rem certè non promouentia: ex quibus à nobis hæc tria ſelecta ſunt, quæ maioribus ipſe litteris diſtinxit, p. 183. & 188. quæque ad rem plurimùm valere quis fortè vel ex hac diſtin-

Digitized by Google

ctione poſſet ſuſpicari. Quàm verò iſta tam ſtudiosè notata parum valeant polleantque, verbo ſic aperio.

Eccleſia illa ſancti Martini Laudunenſis pag. 183. notata, non eſt Eccleſia Monaſterij ſancti Martini Laudunenſis Præmonſtratenſis Ordinis, ſed Eccleſia Parochialis, inſigni Eccleſiæ adjacens, Epiſcopo pleno iure ſubiecta, Eccleſia S. Martini Laudunenſis communiter dicta, in qua ſæpeſæpius Epiſcopus Ordines contulit. Vnde patet hoc in caſu grauiter deceptum Inquiſitorem, aut certè decipere, lectorique imponere voluiſſe.

Reſtat igitur (ſi quid fidei mereatur homo mendacij ac ſuppoſitionis tam ſæpe conuinctus) vt ſemel duntaxat in Sammartinenſi Monaſterio Tonſuram & Confirmationem; ſemel in Eccleſia Cuiſſiacenſi ſacros Ordines contulerit Laudunenſis Epiſcopus. Id porro de noſtrorum permiſſu rogatuque fuiſſe factum, ambiget nemo, qui Sammartinenſis exemptionis ius tam longè ante ſic ſtabilitum viderit, vti de facto ſtabilitum demonſtrauimus; tam longè ante recognitum à Rhemenſibus Archiepiſcopis, Epiſcopiſque Laudunenſibus, vti recognitum confirmaui-

mus : nec enim quis præſumetur inuitus aliqua conceſſiſſe, qui ea negandi iure tam aperto, tamque manifeſta poteſtate donatus eſt. Cæterùm ſi noſtrorum permiſſu factum eſt, (vti etiam hoc tempore fieri poterat, fitque paſſim apud exemptos quoſcumque in hac Pariſienſi ciuitate, qui propterea non minùs exempti) quid inde iuris ad Epiſcopum deriuatur? factum verò fuiſſe noſtrorum rogatu, atque in Ordinis fauorem, liquidò colligitur ex eo, quòd in Cuiſſiacenſi Monaſterio Laudunenſis Epiſcopus Presbyterum vnicum ordinauerit, qui Clarofontanus erat, Canonicus vtique Præmonſtratenſis Ordinis; atque in eius gratiam Diaconum vnum, Acolytum vnum, Clericum vnum : quemadmodum docent Inquiſitoris exſcripta.

Et verò, quo iure quave authoritate in ijs Eccleſiis Laudunenſis Epiſcopus hæc præſtitiſſet, qui nec in parochialibus Eccleſiis ab iiſdem dependentibus jus vllum habet? vti etiam agnouit Laudunenſis Epiſcopus anno 1197. ratione parochialis Eccleſiæ de Diſi, à Cuiſſiaco pleno & Epiſcopali jure dependentis, his verbis.

[Ego Rogerus Dei gratiâ Laudunenſis

Epiſcopus. Notum eſſe volumus vniuerſis tam præſentibus, quàm futuris; quòd cùm Eccleſia Cuiſſiacenſis Altare de Diſi (vbi olim fuit, ſed poſt deſtructa) cum parochia & cæteris pertinentiis reuerendæ memoriæ Domini Alexandri Papæ tertij, necnon & prędeceſſorum noſtrorum Epiſcoporum Laudunenſium priuilegijs confirmatum longo tempore poſſediſſet, & Canonici Cuiſſiacenſes habitantes in Curte ſua de Diſi raris habitatoribus, qui in territorio de Diſi ſparſim pluries habitauerant, *ſpiritualia miniſtraſſent*, tempore huius ſcripti de voluntate Illuſtris Francorum Regis Philippi, & de aſſenſu dictæ Cuiſſiacenſis Eccleſiæ quandam in ipſo territorio villam de nouo contigit reſtaurari. Nos autem *non attendentes* quòd eadem villa eſſet infra fines parochię pertinentis ad Cuiſſiacenſem Eccleſiam conſtituta, *& credētes quòd nobis de jure liceret*, ipſius villæ parochiam Magiſtro Odoni, & Ioanni nepoti Magiſtri Goberti *ſimplici & pia intentione* duximus conferendam. Sanè cùm Abbas Cuiſſiacenſis jus & inueſtituram Eccleſiæ ſuæ poſtmodum in noſtra pręſentia proteſtatus, ſanctæ Romanæ Sedis, & prædeceſſorum noſtrorum nobis priuile-

gia oſtēdiſſet: *aduertētes quòd minùs rationabiliter egiſſemus*, præfatos Odonem & Ioannē donationem, quam feceramus eis precum noſtrarum interuentu fecimus reſignare: quin etiam, vt Cuiſſiacenſis Eccleſia *ius ſuum* quietiùs in poſterum poſſideret, dictum Altare cum parochia & pertinentiis ſuis eidem Cuiſſiacenſi Eccleſiæ præſenti ſcripto, ſigilli noſtri impreſſione munito cenſuimus confirmandum; *ſtatuentes vt parochialis cura ſpiritualiter ad Cuiſſiacenſes Abbates ſucceſſiuè pertineat, ita ſcilicet vt ijdem Abbates per Canonicos præpoſitos cum voluerint amouendos, & cum voluerint ſubrogandos parorochiæ faciant in poſterum prouideri.* Vt igitur factum iſtud perpetua gaudeat firmitate, fecimus illud fideliter hîc inſcribi, & noſtro charactere muniri. Actum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo.]

Atque idem eſt de Claromontana & Samouciaca parochialibus Eccleſiis Abbati Sammartinenſi pleno iure ſubiectis, in quas Epiſcopus, ſeu per ſe, ſeu per Archidiaconos juriſdictionem nullam vnquam exercuit, ſed nec exercere poteſt: vnde cùm juxta Philoſophos, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale*; ſi Laudu-

nenſis Epiſcopus in Diſiacenſi, Claromontana, Sammouciaca Eccleſiis nec populo benedictionem ſolemnem impertire, nec Confirmare Neophytos, nec Ordines conferre, imò nec ad eas tanquam ſibi ſubditas intrare queat, propter earum à Sammartinenſi & Cuiſſiacenſi dependentiam; à fortiori hæc in Cuiſſiacenſi vel Sammartinenſi præſtare non poterit, niſi de noſtrorum licentia & conſenſu.

Pag. 189. num. 5. Tridentinum laudat Innocentij IV. Conſtitutionem circa exemptos editam inſtaurans, & conſequenter ipſam Innocentij cõſtitutionem refert, duplici à ſe hoc miniſtrato telo feriendus. Enimuerò cùm duo ſint exẽptorum genera, vnum ſæcularium, alterum regularium; ſacra Cardinalium Tridentini Concilij Interpretum Congregatio declarauit, in dictum cap. 14. ſeſſ. 7. *Regulares inſeruientes de licentia ſuorum ſuperiorum beneficijs ſimplicibus, quæ ſunt tamen membra Monaſteriorum ſeu religionis, non poſſe viſitari ab Ordinarijs, nec comprehendi hoc decreto.* Quod idem declarat in cap. 8. eiuſdem ſeſſ. atque à fortiori illud ipſum dicendum eſt de regularibus in Monaſterio degentibus.

Vt autem ex ipſomet Tridentino videas,

Digitized by Google

quàm conſona ſit & conformis menti Cõcilii hæc declaratio, legendum caput 11. ſeſſ. 25. eiuſdem Concilii, vbi expreſsè ab Ordinariorum Epiſcoporum iuriſdictione, viſitatione, correctione eximuntur, exemptique declarantur etiam Rectores parochiarum, & parochiales Eccleſiæ Monaſteriorum ſeu locorum, in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum ſedem ordinariam principalem habent, atque aliorum Monaſteriorum ſeu domorũ, in quibus Abbates, aut alii regularium ſuperiores iuriſdictionem Epiſcopalem & temporalem in parochos & parochianos exercent, vti fit in domibus Pręmonſtratenſium, & in Monaſterio ſancti Martini potiſſimùm.

Sed quid confert Innocentii 4. ab Inquiſitore relata conſtitutio, niſi vt enormis propaletur Epiſcopi Laudunenſis in eandem conſtitutionem tranſgreſſio? qui innocentem, ſibi non ſubditum, etiam iis in circunſtantiis affligere præſumpſit, in quibus dicta conſtitutio Epiſcopis delicta aperta caſtigandi ius omne expreſsè adimit: *quia exempti nec coram Ordinarijs ipſis, dummodò ſit in loco exempto commiſſum delictum, vel contractus initus, &c. conueniri poſſunt ali-*

quatenus ſuper iſtis (inquit conſtitutio) Adeo verum eſt quod de Launoio ſimilibus cecinit Propheta Regius, *In laqueo iſto quem abſconderunt comprehenſus eſt pes eorum.*

Quod autem pag. 190. num. 6. de Concilio Calchedonenſi profert, rem magis non promouet: nimirum vetat Concilium iſtud ne per præſumptionem Monachi perinde ac Clerici recedant à ſuo Epiſcopo: ij verò qui ſupremæ authoritatis priuilegio iuſtiſſimis manifeſtiſſimiſque de cauſis eximuntur, ii, inquam, propriâ authoritate aut per præſumptionem ab Epiſcopo non recedunt.

Quæ paginis 192. & 193. proponit dubia de Schepticorum fontibus eruta, adeò ſtolida ſunt, vt iis ſoluendis pudeat immorari, præſertim cum moneat ſapiens prouerb. 26. *noli reſpondere ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis.* Quis enim non videat in Præmonſtratenſes propriâ Epiſcoporum authoritate nullam omnino iuſtè ferri poſſe ſententiam; quippe quæ contra expreſſum priuilegii tenorem, à non habẽtibus poteſtatem vllam, ferretur in non ſubditos. Præterquam quod ridiculum videretur eſſe priuilegium illud, quo quis eximeretur à ſententia duntaxat

injuſtè lata : quid enim eximii aut ſingularis hac conceſſione homini ſic exempto accederet ? & cuiuſnam eſſet iudicare, juſténe, an iniuſtè lata eſſet eiuſmodi ſententia ?

Ad ſecundum dubium quod attinet, illud abundè reſolutum eſt à nobis cap. 6. vbi oſtendimus ab Epiſcopis per cenſuras olim cogi potuiſſe Abbates noſtros, vt ad generale Capitulum procederent; ab Epiſcopis (inquam) non propriâ, ſed Apoſtolicæ Sedis in hac parte ſibi delegatâ authoritate agentibus, idque ad noſtrorum duntaxat inſtantiam, ſeu ſententiam in contumaces ferendo, ſeu latam ab Abbate Præmonſtratenſi promulgando, & vſq; ad dignam ſatisfactionem inuiolabiliter obſeruari faciendo; quod & adhuc poſſent, ſi de nouo à ſummis Pontificibus delegarentur, atque à noſtris rogarentur: non poſſunt autem, quoniam Pontifices maximi videntes Ordinem Præmonſtratenſem poſſe per ſeipſum ſubſiſtere, nec ampliùs indigere emendicato Epiſcoporũ auxilio, omnem Epiſcopis eiuſmodi delegatam in noſtros authoritatem dudum ademerunt; quod & vſus & conſuetudo à quingentis annis inuiolabilter obſeruata firmauit.

Quæ verò num. 8. in fine pag. 193. ſibi melancholicorum more falſò audire videtur *concedere nimirum Præmonſtratenſes impedire ſe non poſſe, quominus in baſilicis Monaſteriorum ſuorum diœceſanus Epiſcopus populo benedicat*, quàm ſine fundamento ediſſerat, patet ex dictis paſſim.

Ac tandem quæ toties in ſummum Pontificem iactata, de truci veneni mortiferi plenitudine hîc num. 9. pag. 195. adhuc diſſiliunt, hæc abundantiſſimè ſunt deterſa cap. 15.

CAPVT XVIII. AD XVII. INQVISITIONIS RESPONDENS.

Hallucinationes Inquiſitoriæ circa Ludouici 11. *priuilegium expenduntur.*

SANE conſequens erat, vt qui cap. 14. Inquiſitionis ſuæ tam proteruè *poſuerat in cœlum os ſuũ*, etiam *eius lingua tranſiret in terram*, quò *dilexiſſe ſe omnia verba præcipitationis lingua doloſa oſtenderet* : hoc verò præſtat hîc maximè, Lud. 11. Regis Chriſt.

Digitized by Google

priuilegium impugnans, ſed ijs, quibus ſolet, momentis anilibus. Id porro vt pateat, pruilegium non ex parte, ſed integrum legendum vti eſt á nobis ſupra cap. 15. pag. 228. relatum, cui ſubjicienda Caroli 8. confirmatio.

Primò igitur huic clauſulæ, *pro parte dilectorum noſtrorum Abbatum, Prælatorum, Priorum, Præpoſitorum, Decanorum, Canonicorum, Conuerſorum, Donatorum, & dilectarum Abbatiſſarum &c.* ea opponit Inquiſitor, *quæ* Inquiſitionis ſuæ *cap. 14. num. 2. 3. & 4. ad parem clauſulam animaduertit.* Cui nos eadem hîc, quæ dictis numeris, reponimus.

Opponit ſecundò *Ludouicum 11. falſi ſuggeſtione ſcripſiſſe, quòd Ordo Præmonſtratenſis florere cœpit anno Chriſti 1119. quo* (ait) *nondū erat inſtitutus*: nondum verò fuiſſe inſtitutum colligit ex inſtrumentis publicis à ſe cap. 2. Inquiſitionis ſuæ relatis. Sed in iis egregiè hullucinatus eſt Normannus noſter, relationem rei antea geſtæ, donationiſque jam à ſeſqui anno factæ narrationem confirmationemque publicam, cum prima conceſſione ac donatione confundens. Id autem vt planum fiat, inſtrumentum publicum ex Inquiſitore refero.

In

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ego Bartholomæus Dei gratiâ Laudunenſium Præſul. Cùm Eccleſia S. Vincentij locum, qui Præmonſtratus dicitur, qui ad propriam menſam Epiſcopi pertinebat, ex dono prædeceſſoris noſtri Elinandi Epiſcopi haberet, ſicut in priuilegio eiuſdem Eccleſiæ continetur, Monachi locum illum diu incoluerunt, & per multos labores nullum, vel paruum fructum conſequebantur. Quod ego attendens rogaui Adalberonem Abbatem & Monachos, vt locum ſupradictum mihi liberè concederent, quatenus ſecundùm voluntatem meam de eo diſponere poſſem. Abbas autem & Monachi petitioni meæ aſſentientes, quidquid inloco illo habebant, mihi liberè & ſine contradictione conceſſerunt. Ego verò non ingratus eorum voluntati conceſſi Eccleſiæ S. Vincentij altare de Bariaco in perpetuum (ſaluo Synodali iure) habendum: dedi eis etiam dimidium modium frumenti ad molendinum quod apud villam ſitum eſt, quæ Broincourt dicitur. Videns autem ſupradictum locum, qui Præmonſtratus dicitur, religioſis viris vtiliſſimum, fratri Norberto, & ſubditis & poſteris eius liberè, & ſine contradictione in perpetuum conceſſi habendum. Frater verò Norbertus ſicut alienæ rei minimè cupidus primitùs noluit recipere, donec Seifridus Abbas S. Vincentij & Monachi eius donum illud ei

firmauerunt in Capitulo communi aſſenſu. Quæ verò conceſſio, ne aliquo modo deinceps immutari poſſit, impreſſione noſtræ imaginis, & ſigillo S: Mariæ Laudunenſis Eccleſiæ, & ſigillorum Seifridi Abbatis S. Vincentij confirmare curauimus. Signum Bartholomæi Laudunenſis Epiſcopi, ſignum Seifridi Abbatis S. Vicentij, ſignum Simonis Abbatis S. Nicolai de ſilua, Guidonis Decani & Archidiaconi, Radulphi Archidiaconi, Blihardi Cantoris, Roberti Decani S. Ioannis, Gaufridi Cantoris, Roberti Præpoſiti S. Martini, Herberti Vice-Domini, Clarembaldi de Foro, Nicolai Caſtellani. Actum Lauduni in Capitulo S. Mariæ Laudunenſis Eccleſiæ anno Dominicæ Incarnationis 1121. Indict. 14. Epacta nulla, concurrente 5. Ego Radulphus Laudunenſis Eccleſiæ Cancellarius ſcripſi & ſubſcripſi.

Quo quidem in inſtrumento referuntur ea, quæ ſub duobus S. Vincentij Abbatibus Adalberone & Seifrido geſta ſunt, firmatumque dicitur à Seifrido & Monachis eius in Capitulo communi aſſenſu, idque ad beati Norberti inſtantiam donum illud, quod Adalberonis tempore à Bartholomæo eidem Norberto factum fuerat: atque hanc confirmationem & conceſſionem, ne aliquo modo hæc deinceps

immutari poſſet, impreſſione ſuæ imaginis & ſigillo S. Mariæ Laudunenſis Eccleſiæ & ſigillorum Seifridi Abbatis S. Vincentij firmat Bartholomæus.

Vt autem videas quàm non falſi, ſed veri ſuggeſtione Ludouicus hæc ſcripſerit, lege Andream du Cheſne de vitis Romanorum Pontificum, in vita Calixti II. pag. 570. & 571. vbi narrans acta Calixti ſub annum 1119. docet ex hiſtoria Eccleſiæ Laudunenſis ad inſtantiam Bartholomæi Laudunenſis Epiſcopi à Calixto Papa approbatam fuiſſe regulam & inſtitutum S. Norberti. Quod etiam nullo negotio colligere poteras ex iis, quę ex Hermanno Monacho exſcripſiſti pag. 19. & 20. Inquiſitionis tuæ, vbi referuntur ſanctiſſimi Parentis habita Rhemis ſedente Concilio, & Lauduni poſt finitum Concilium ſuper propoſito de religionis norma, Sedis Apoſtolicæ conſilio & authoritate incipienda, cum Calixto Papa colloquia, & cætera deinceps facta, ad quæ referenda ſunt Ordinis Præmonſtratenſis initia, quæque in ipſum tempus à Ludouico 11. hîc notatum incidunt.

Opponit 3. Aduersùs hanc clauſulam in Honorij II. Innocentij II. Alexandri III,

Gregorij IX. & X. Innocentij IV. & Vrbani IV. priuilegijs (quæ dicuntur à Ludouico 11. approbata) contentam, *ſi qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtræ conceſſionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentauerit, ſecundò tertióve commonita, niſi ſatisfactione congruá emendauerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat. Nec Regi, nec regno periculoſiores parari poſſe inſidias, quàm quæ hác clauſulà parantur.* Sanè ſi prætorianus miles in ſtatione poſitus ſic ex leui flatu ad arma conclamaret, ei certè eſſet condonandum: at verò Pariſienſem Theologum ſenem, annoſum, libros continuò voluentem, reuoluentem, glutientem, eò vſque Romanæ Curiæ ſtylum ignorare, neſcireque ſimilibus dicendi modis Reges & ſupremos Principes non comprehendi, id profectò cordatorum iudicio non eſt ferendum. Sed etſi Reges ac Principes hæc clauſula comprehenderet; eaque *imprecationis aut comminationis modum non contineret*, ſed receptam iuris formam, quam exciperet abdicationis ſententia, quid inde? Enimverò adhoc vt Principes & Reges obligare poſſet hæc clauſula, vel acceptatio requireretur ex parte Principum, (adeout hi ius habe-

rent ſimilem clauſulam reſpuendi, ſi vellent:) vel non requireretur acceptatio, ſed obligare poſſet etiam inuitos. Si requiratur acceptatio: aut Princeps acceptauit; aut non acceptauit: ſi non acceptauit, quid ex eiuſmodi clauſula Principi metuendum? ſi autem acceptauit, quidnam acceptanti & ſeruare volenti formidandum eſſet? Si verò ius repugnandi Principes non habeant, ſed eos hæc clauſula obligare poteſt vel inuitos; hanc approbauerint, necne, æqua ſemper erit obligatio.

Sed quæſo te (excubitor nimiùm pauide, ac timore trepidans vbi non eſt timor) quàm vanæ, imò nullæ ſint neceſſe eſt inſidiæ illæ, quas ſpatio quadringentorum annorum, publicè licet paratas & expoſitas, tot Argi, (Reges intelligo, eoſque non vulgaris ingenij; Duces, Franciæ Amiraldos, ſupremorum Senatuum Procuratores Generales, alioſque proceres, qui Ludouici, & Caroli diplomatibus ſubſcripſere) non deprehenderunt; aut certè Regi, regnoque ex iis nihil omninò metuendum eſſe pro certo habuerunt. Verùm tui ſimilibus id in more poſitũ eſt, vt, cum ratione nihil ipſi valeant, clamoribus

ſaltem oppleant omnia, ſi quo modo tandem tumultum excitare, perque ſpiritus, non quidem nequiores ſe, ſed valentiores id efficere queant, quod per ſe non poſſunt.

Opponit 4. pag. 198. Aduersùs hanc clauſulam. *Et primò circa Electiones dicti Præmonſtratenſis Abbatis, & aliorum Coabbatum ſuorum ſtatim decretum & ordinatum eſſe comperimus, quòd eidem Præmonſtratenſi Monaſterio Paſtoris ſolatio deſtituto per ipſius Monaſterij fratres, &c. Electionis verò prædictæ ſic modo præmiſſo celebratæ confirmatio aut infirmatio ſoli Romano Pontifici ſpectare, ac pertinere dignoſcitur. Hanc totam tam non legi apud Honorium II. Innoc. II. Alexan. III. & IV. Vrban. IV. Innocent. IV. Gregor. IX. & X. Clem. III. V. & VI. quàm non legitur apud Ouidium aut Terentium.* Quibus quidem verbis de poſtremæ ſtupiditatis & impudentiæ fœcibus eò ſe prorupiſſe inſolentiæ oſtendit, vt omnino ſe non capiat, Dominationem ſpernens, ridens Majeſtatem: nimirùm, Regibus Chriſtianiſſimis aſſerentibus, *ſe in litteris Apoſtolicis, & aliis documentis Authenticis ſibi exhibitis inſpexiſſe, viſitare feciſſe, vidiſſe contineri clauſulam illam*; Regni proceribus illud ipſum atte-

ſtantibus, audet nihilominus, & proteruè audet Launoius, Majeſtatique impingens aſſerit, *tam non legi apud nominatos Pontifices clauſulam illam, quàm non legitur apud Ouidium aut Terentium.* Id verò qua ratione lingua effrænis ediſſerit? *Quia* (inquit pag. 199.) *in libro 2. & 3. Præmonſtratenſis Bibliothecæ legi & relegi poſſunt illorum Pontificum priuilegia, vbi ſimile comperietur nihil.* Sed, ô mortalium procaciſſime, an Reges Chriſtianiſſimi aſſerunt, clauſulam illam reperiri in *Bullis* nominatorum Pontificum, an verò *in aliis documentis authenticis ſibi exhibitis?* an in litteris Apoſtolicis à Bibliothecario relatis; an verò in Pontificum indultis in Bibliotheca Præmonſtratenſi non extantibus? Quàm multa enim archetypa, ſeu indultorum Apoſtolicorum, ſeu documentorum authenticorum iuridicè producta & compulſata vidiſti, quæ in Præmonſtratenſi Bibliotheca non extant, quæque te euidentiâ ſuâ ad palinodiam adegere! Eſt igitur hæc clauſula tùm in Bullis Pontificum, tùm in antiquioribus recentioribuſq; Præmonſt. Ordinis conſtitutionibus, laudabilibuſq; conſuetudinibus toties à ſummis Pontificibus approbatis, & ad hæc noſtra tempora mi-

nimè interruptâ ſerie ſeruatis illæſis. Quod & agnouit anno 1643. Rex Chriſtianiſſimus : cum enim ad Priuatum Conſilium delata fuiſſet R. Patris Simonis Raguet electio in Abbatem Præmonſtratenſem examinanda, eam Rex à Conſilio omnino intactam relinqui, & ad ſummum Pontificem, vnicum Electioni eiuſmodi confirmandæ vel infirmandæ Iudicem Idoneum remitti voluit ; gratumque ac ratum ſe habuiſſe Sedis Apoſtolicæ ſuper eiuſmodi Electione iudicium anno 1645. Litteris patentibus manifeſtiſſimè teſtatus eſt.

Sed notanda duo mendacia lineis 10. & 11. pag. 199. expreſſa. *Id*, inquit, *in primis Vrbano IV. tribuitur, cui tribuendum eſt contrarium.* Primùm enim Vrbano IV. id non tribui, patet Ludouici priuilegium inſpicienti : niſi fortè velit Inquiſitor, quæcumque à Ludouico referuntur ex nominatorum Pontificum diplomatis aliiſque documentis authenticis, hæc omnia & ſingula non illis omnibus collectiuè, promiſcuè & reſpectiuè ſumptis, ſed ſingulis diſtributiuè tribui debere, quod eſt ridiculum, quodque non patitur priuilegij ſenſus.

Digitized by Google

Secundò verò *eidem Vrbano IV. tribuendum eſſe contrarium.* Puta Confirmationẽ aut infirmationem Electionis Abbatis Præm. non pertinere ad ſolum Romanũ Pontificem; idque ex eo quòd à Capitulo Laudunenſis Eccleſiæ Epiſcopo Laudunenſi pręſentari ſupponitur Abbas Pręmonſt. ab eo munus benedictionis accepturus: hæc groſsè Philoſophantis egena ſunt elementa; quaſi contraria eſſent illa duo, præſentari à Capitulo, ab Epiſcopo benedici, & Confirmationem Electionis ſuæ recipere à ſummo Pontifice. Præterquam quod iam ſæpius oſtenſum eſt, non modò Præmonſtratenſem Abbatem, ſed & alios Abbates Laudunenſis diœceſis, imò totius Ordinis à quocumque Epiſcopo voluiſſent munus benedictionis potuiſſe recipere: à diœceſano, cum ab ipſo conſecrabantur, non potuiſſe examinari: cum ab ipſo benedictionem obtinere non poterant, officio, vice, loco Abbatis plenariè tam in exterioribus prouidendis, quàm in interioribus corrigendis potuiſſe fungi. Quod & Confirmauit idem Vrbanus IV. priuilegio ſuo an. 1262. deceſſorum ſuorum indulta repetens & inſtaurans.

Opponit 5. pag. 201. *Hæc omnia*, quæ

nimirum ex Ludouico retulit pag. præcedenti, *in Honorij II. Innoc. II. Alex. III. & IV. Vrbani IV. Innocenc. IV. Gregor. IX. & X. Clementis III. IV. & VI. priuilegiis non apparere.* Verùm id quàm falſum ſit, patet dictorum & aliorum Pontificum priuilegia integra, atque alia documenta authentica inſpicienti: Ex iis enim liquidò conſtat, nihil omnino hîc à Ludouico relatum, quod ex aliquo nominatorum Pontificum indulto, documentove authentico non fuerit excerptum. Cæterùm (quemadmodum iam obſeruauimus) velle vt omnia & ſingula in Ludouici priuilegio, ſeu litteris patentibus expreſſa reperiantur in ſingulis nominatorum, & aliorum nonnullorum Romanorum Pontificum indultis, nugari eſt, ſomniare, deſipere: nec enim vnica fuit Honorij II. per ſuccedentes ſummos Pontifices ſimpliciter confirmata conceſſio; ſed gratia multiplex per ſuccedentium Pontificum liberalitatem indulta: nec ea quæ Ludouicus exprimit, hæc in vnico à multis Pontificibus repetito confirmatoque indulto; ſed in multis Bullis ac litteris Apoſtolicis, & aliis documentis authenticis ſibi exhibitis, quæ inſpicere & viſitare fecit, contenta & reper-

ta fuiſſe aſſerit. Quod quidem quàm verum ſit, patet ſingula, de quibus hîc p.200. ab Inquiſitore ſermo inſtituitur, examinanti & conferenti. Nimirum *poteſtas Coabbates, Præpoſitos, alioſque Præmonſtratenſem Ordinem profeſſos excommunicandi, caſu exigente, & abſoluendi Abbati Præmonſtratenſi conceſſa*; in indultis Pontificum elucet toto lib. 3. Præm. Bib. relatis. *Poteſtas incarcerandi, & carceri mancipatos* tempore & modo præſcriptis *liberandi*; tùm in indultis Pontificum ibidem, tùm in antiquioribus Ordinis Conſtitutionibus, ſtatutis, conſuetudinibus, centies à Pontificibus maximis confirmatis apparet. *Poteſtatem Abbatibus, Præpoſitis, Abbatiſſis, &c. propter infirmitatem, debilitatem, aut, aliam iuſtam & rationabilem cauſam Coadiutores dandi, reſignationes recipiendi, &c.* ſæpius videre eſt expreſſam tùm in Bullis, cùm in antiquis manuſcriptis Ordinis Conſtitutionibus. *Poteſtatem* denique *Abbates inutiles, infames, & criminoſos, ſi iuſta ex cauſa caſus exegerit, deponendi, & deſtituendi*; etiam expreſſam habes centies in indultis paſſim ab ipſomet Inquiſitore laudatis: vt mirum ſit hominem, quo cum agimus, auſum fuiſſe hæc ſcribere.

Alexander 3. ait, pag. 201. *Præmonſtratenſi Abbati Monaſteria Ordinis viſitanti nonnihil indulſit, ſed illud longè diuerſum eſt ab iis omnibus, quæ Hubertus Romanis Pontificibus ſubiecit: Ita ſe habet.*

Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Abbati Præmonſtratenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm ſis Pater omnium, qui Præmonſtratenſem Ordinem ſunt profeſſi, & Abbatias ipſius Ordinis tenearis ex debito viſitare, tibi ad executionem officij tui Apoſtolicum volumus indulgere fauorem. Inde eſt quod tuis petitionibus annuentes, præſentibus tibi litteris indulgemus vt fratribus & Conuerſis eiuſdem, ſi qui tibi peccata ſua confiteri voluerint, pœnitentiam iniungendi, & ipſos abſoluendi, etiamſi fortè vinculo ſint excommunicationis adſtricti, & Tonſuras tuis Nouitiis Clericis faciendi, dummodò Presbyter ſis, de authoritate noſtra liberam habeas facultatem. DATVM Tuſculani tertio Idus Martij. Sed hæc quid oſtendunt? niſi Inquiſitorem in bardum ac ſtipitem euaſiſſe, qui ſic præpoſterè Alexandrum III. obtruſit. Enimverò (vt de ampliſſimo eiuſdem Alexandri III. indulto mox referendo ſileam, in quo expreſsè continentur ea ſeriè omnia, quę hîc à Ludouico enumerantur, & alia multa,

quæ Inquiſitorem latere non potuerunt, cum pag. 15. notauerit ab Alexandro 3. Præmonſtratenſibus conceſſa eſſe ſeptem priuilegia in Bib. Prem. relata) quid in indulto hîc relato adeo *longè diuerſum eſt ab ijs omnibus, quæ alij Romani Pontifices Ordini* vel Abbati Præmonſtratenſi conceſſere? Alij hîc in litteris Ludouici conceſſiſſe dicuntur Abbati Præmonſtratenſi poteſtatem, *vt Coabbates, Canonicos, & Conuerſos caſu exigente excommunicare poſſit & abſoluere*: Alexander hîc in allato diplomate eidem Abbati concedit, *vt Fratres & Conuerſos abſoluere queat, etiamſi vinculo ſint excommunicationis adſtricti.* Hîc ab Alexandro conceditur eidem Abbati, *vt Nouitijs Clericis Tonſuras facere valeat*: Hoc ſimiliter alij multi Romani Pontifices eidem Abbati conceſſere, vt videre eſt in Bibl. Præmonſtrat. paſſim: atque ex his duobus ſolummodo totum Alexandri 3. diploma mox relatum coaleſcit; quid igitur adeo *longè diuerſum ab ijs* continet, *quæ alii Pontifices conceſſere?* Vt autem appareat quàm imprudenter & præpoſterè Alexandrum 3. tanquam ab alijs Romanis Pontificibus diſſentientẽ adduxerit, legatur diploma ſequens.

[Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruo-

rum Dei, dilectis filijs Hugoni Abbati Præmonſtratenſi, & cæteris Abbatibus & Canonicis Præmonſtratenſis Ordinis, tam præſentibus, quàm futuris religioſam vitam profeſſis in perpetuum. In Apoſtolicæ Sedis ſpecula, quanquam immeriti, prouidente Domino conſtituti, pro ſingulorum ſtatu ſolliciti eſſe compellimur, & ea ſincerè tenemur amplecti, quæ ad incrementum religionis pertinent, & ad virtutum ſpectant ornatum, quatenus Religioſorum quies ab omni ſit perturbatione ſecura, & à jugo mundanæ oppreſſionis ſeruetur illæſa, cùm Apoſtolica fuerit tuitione munita. Attendentes itaque quomodo Religio & Ordo veſter multâ refulgens gloriâ meritorum, & gratiâ redolens ſanctitatis, palmites ſuos à mari vſque ad mare extenderit, ipſum Ordinem & vniuerſas domos eiuſdem Ordinis Apoſtolicæ protectionis præſidio duximus confouendas, & præſenti priuilegio muniendas. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris iuſtis poſtulationibus benigniùs annuentes, vniuerſas inſtitutiones & diſpoſitiones, quas de communi conſenſu, vel majoris & ſanioris partis rationabiliter feciſtis, ſicuti inferiùs denotantur, authori-

tate Apoſtolicâ roboramus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Videlicet, vt Ordo Canonicus, quemadmodum in Pręmonſtratenſi Eccleſia ſecundùm B. Auguſtini regulam & diſpoſitionem recolendæ memoriæ Norberti quondam Præmonſtratenſis Ordinis Inſtitutoris, & ſucceſſorum ſuorum in candido habitu inſtitutus eſſe dignoſcitur, per omnes eiuſdem Ordinis Eccleſias, perpetuis temporibus inuiolabiliter obſeruetur, & eædem penitus obſeruantiæ, ijdem quoque libri, qui ad diuinum officium pertinent, ab omnibus eiuſdem Ordinis Eccleſiis vniformiter teneantur: Nec aliqua Eccleſia vel perſona Ordinis veſtri, aduerſùs communia ipſius Ordinis inſtituta, priuilegium aliquod poſtulare, vel obtentum audeat quomodolibet retinere. Nulla etiam Eccleſiarum ei, quam genuit, quamlibet terreni commodi exactionem imponat; ſed tantũ Pater Abbas curam de profectu tam filij Abbatis, quàm Fratrum domûs illius habeat, & poteſtatem habeat ſecundùm ordinem corrigendi, quæ in ea nouerit corrigenda, & illi ei tanquam patri reuerentiam filialem humiliter exhibeant. Abbas autem Præmonſtratenſis Eccleſiæ, quæ mater

eſſe dignoſcitur aliarum, non ſolùm in illis Eccleſiis quas inſtituit, ſed etiam in omnibus aliis eiuſdem Ordinis & dignitatem & officium Patris obtineat, & ei ab omnibus tam Abbatibus, quàm Fratribus debita obſeruantia impendatur. Prȩterea omnes Abbates Ordinis veſtri, ſingulis annis ad generale Capitulũ Præmonſtratum, poſtpoſitâ omni occaſione, conueniant, illis ſolis exceptis, quos à labore viæ corporis retardauerit infirmitas, qui tamen idoneum delegare debebunt nuncium, per quem neceſſitas & cauſa remorationis ſuæ Capitulo valeat nunciari. Hi autem qui in remotioribus partibus habitantes, ſine graui difficultate ſingulis annis ſe nequeũt Capitulo præſentare, in eo termino conueniant, qui in ipſo eis Capitulo fuerit cõſtitutus. In quo nimirum Capitulo, præſidente Abbate Præmonſtratenſi, cæteriſque conſedentibus, & in ſpiritu Dei cooperantibus, de his, quæ ad ædificationem animarum, ad inſtructionem morum, & ad informationem virtutum, atque incremẽtum regularis diſciplinæ ſpectabunt, ſermo diligens habeatur. Porro de omnibus quæſtionibus & querelis, tam ſpiritualibus quàm temporalibus, quæ in iſto Capitulo propoſitæ

propoſitæ fuerint, illud teneatur irrefragabiliter & obſeruetur, quod Abbas Præmonſtratenſis cum his, qui ſanioris conſilij & magis idonei apparuerint, juſtè ac prouidè judicabit. Sanè ſi Abbas aliquis veſtri Ordinis infamis & inutilis, aut Ordinis ſui præuaricator inuentus fuerit, & priùs per Patrem ſuum Abbatem, aut per nuncios ejus admonitus, ſuum corrigere & emendare delictum neglexerit; aut cedere, ſi amouendus fuerit, ſponte noluerit, authoritate generalis Capituli deponatur; & depoſitus ſine dilatione ad domum, vnde exiuit, ſeu ad aliam eiuſdem Ordinis, quam elegerit, reuertatur, in obedientia Abbatis, ſicut cæteri fratres ipſius domus, firmiter permanſurus. Id ipſum etiam alio tempore, ſi neceſſe fuerit, & Capitulum ſine ſcandalo vel periculo expectari nequiuerit, per Abbatem Præmonſtratenſem, & Patrem-Abbatem & alios Abbates, quos vocauerit, fieri licebit. Quòd ſi depoſitus in ſe datæ ſententiæ contumaciter cōtraire tentauerit, tam ipſe, quã principales eius, qui de Ordine veſtro fuerint in ſua cōtumacia fautores, ab Abbate Præmonſtratenſi & cæteris Abbatibus, cenſurâ Eccleſiaſticâ, donec ſatisfaciant, coer-

ceantur. Verùm cùm aliqua Eccleſiarum veſtrarum Abbate proprio fuerit deſtituta, ſub Patris-Abbatis poteſtate ac diſpoſitione conſiſtat, & cum eiuſdem conſilio, qui eligendus fuerit, à fratribus eligatur. Electus autem, non quaſi abſolutus à poteſtate Patris Abbatis vel Ordinis ſui, Archiepiſcopo vel Epiſcopo, in cuius diœceſi fuerit, præſentetur, plenitudinem officij ab eo percepturus; ita tamen quòd poſt factam Archiepiſcopo vel Epiſcopo profeſſionem, occaſione illa non tranſgrediatur conſtitutiones Ordinis ſui, nec in aliquo eius præuaricator exiſtat. Si quis etiam ex vobis canonicè electus in Abbatem, diœceſano Epiſcopo ſemel & iterum per Abbates veſtri Ordinis præſentatus, benedictionem ab eo non potuerit obtinere, ne Eccleſia, ad quam vocatus eſt, deſtituta conſilio periclitetur, vice & loco Abbatis fungatur in ea, tam in exterioribus prouidendis, quàm in interioribus corrigendis, donec aut interuentu generalis Capituli veſtri, aut præcepto Romani Pontificis, ſeu Metropolitani, benedictionem ſuam obtineat. Cæterùm ſi aliqua Eccleſiarum veſtrarum paſtoris ſolatio deſtituta, inter fratres de ſubſtituendo

Digitized by Google

Abbate diſcordia fuerit, vel ſciſſura ſub-orta, & ipſi facilè ad concordiam vel vnitatem reuocari nequiuerint; Pater-Abbas conſilio Coabbatum ſuorum, eis idoneam prouideat perſonam, & illi eam ſine contradictione recipiant in Abbatem. Quam ſi recipere contempſerint, ſententiæ ſubiaceant, quam Pater-Abbas cum conſilio Coabbatum ſuorum in eos duxerit, circumſpectione adhibitâ, promulgandam. Si quæ autem Eccleſiæ Canonicorum alterius Ordinis ad Ordinem veſtrum venerint, ad eam Eccleſiam veſtri Ordinis habeant ſine refragatione reſpectum, in qua veſtrum noſcuntur Ordinem aſſumpſiſſe. Nulla ſanè perſona Eccleſiaſtica pro benedictione Abbatum veſtrorum Palefridum, aut aliquid aliud exigere; nullus Abbatum veſtrorum, etiamſi exigatur, dare præſumat, quia & exigenti & danti nota ſimoniacæ prauitatis & periculum imminet. Adhæc quoniam Pręmonſtratenſis Eccleſia prima mater eſt omnium Eccleſiarum totius Ordinis, & patrem ſuper ſe alium non habet, ſicut ad cautelam & cuſtodiam Ordinis, per tres primos Abbates, ſcilicet de Lauduno, de Floreſſia, & de Cuſſiacenſi ſtatutum eſt,

Digitized by Google

annua ibidem viſitatio fiat, & ad ſuggeſtionem eorum in ipſa domo corrigatur, ſi quid corrigendum fuerit. Quòd ſi Abbas in corrigendo tepidus, & fratres ſæpius moniti, incorrigibiles permanſerint, ad generale Capitulum referatur, & ſicut melius viſum fuerit, conſilio generalis Capituli, emendetur, & ſententia in hac parte Capituli ſine retractatione aliqua obſeruetur. Quoties verò Eccleſia Præmonſtratenſis ſine Abbate fuerit, ad præfatos tres Abbates eius cura reſpiciat, & à Canonicis ipſius Eccleſiæ, cum eorum conſilio, perſona in Abbatem idonea eligatur, ad conſilium ſuum quatuor aliis Abbatibus ad eandem Eccleſiam pertinentibus pariter aduocatis, quos ipſi Canonici prouiderint aduocandos. Liceat quoque vnicuique matri Eccleſiæ Ordinis veſtri cum conſilio Abbatis Præmonſtratenſis, de Abbatibus Eccleſiarum, quæ ab ea proceſſiſſe noſcuntur ſibi quemcunque voluerint, ſi tamen idoneus extiterit, aſſumere in Abbatem. Perſonam autem de alio Ordine nulla Eccleſiarum veſtrarum ſibi eligat in Paſtorem, nec veſtri Ordinis aliqua in Abbatem Monaſterij alterius Ordinis, niſi de authoritate Romanæ

Digitized by Google

Eccleſiæ ordinetur. Nulli etiam Canonicos vel Conuerſos veſtros ſine licentia Abbatum ſuſcipere aut ſuſceptos liceat retinere. Si quæ verò inter aliquas veſtri Ordinis Eccleſias de temporalibus quæſtio emerſerit, non extra Ordinem Eccleſiaſtica vel ſæcularis audientia requiratur, ſed mediante Præmonſtratenſi Abbate & cæteris, quos vocauerit, aut charitatiuè inter eas componatur, aut auditis vtrinque rationibus, eadem controuerſia iuſto iudicio terminetur. Quia verò ſingula, quæ ad religionis profectum, & animarum ſalutem ordinaſtis, præſenti abbreuiationi nequiuerint annecti, Nos cum his, quæ præſcripta ſunt, conſuetudines veſtras, quas inter vos religionis intuitu regulariter ſtatuiſtis, ac deinceps authore Domino ſtatuetis, auctoritate Apoſtolica roboramus, & vobis veſtriſque ſucceſſoribus, & omnibus, qui Ordinem veſtrum profeſſi fuerint, perpetuis temporibus inuiolabiliter obſeruandas decernimus. Ad majorem quoque Ordinis veſtri reuerentiam, & regularis diſciplinæ obſeruantiam, vobis filij Abbates ſubiectos, præuia iuſtitia & ratione ligandi, & eoſdem ſoluendi, pœnitentiâ & ſatisfactione præcedente, plenam

Digitized by Google

concedimus facultatem, majoribus & difficilioribus criminibus, quæ manifeſta fuerint, Metropolitano vel Romano Pontifici reſeruatis. De cætero, quoniam à ſtrepitu & tumultu ſæcularium remoti, pacem & quietem diligitis, Grangias veſtras, ſicut & Atria Eccleſiarum, à prauorum incurſu & violentia libera fore ſancimus: Prohibentes, vt ibi nullus hominem capere, ſpoliare, verberare ſeu interficere, aut furtum vel rapinam committere audeat. Ob euitandas verò ſæcularium frequentias, liberum ſit vobis (ſaluo iure diœceſanorum Epiſcoporum) Oratoria in Grangiis veſtris conſtruere, & in ipſis vobis, & familiæ veſtræ, diuina officia, cùm neceſſe fuerit, celebrare. Prohibemus inſuper, ne aliqua perſona Fratres Ordinis veſtri audeat ad ſæcularia iudicia prouocare; ſed ſi quis aduersùs eos aliquid ſibi crediderit de iure competere, ſub Eccleſiaſtici examine iudicij experiendi habeat facultatem. Præterea ſicut à tempore prædeceſſoris noſtri piæ memoriæ Innocentij, ex eius priuilegio habetis, nos quoque præſentis ſcripti authoritate firmamus, vt de noualibus, quæ propriis manibus vel ſumptibus colitis, ſeu de nutri-

mentis animalium veſtrorum, nulla Eccleſiaſtica ſæcularíſve perſona decimas à vobis exigere præſumat. Decernimus ergo, vt nulli omninò hominum liceat præfatum Monaſterium, vel cæteras eius Abbatias & Obedientias temerè perturbare, aut earum poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel quibuſlibet vexationibus perturbare: ſed illibata omnia & integra conſeruentur eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa fuerint, vſibus omnimodis profutura, ſaluâ ſedis Apoſtolicæ authoritate. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæcularíſve perſona hanc noſtræ inſtitutionis paginam ſcienter contra eam temerè venire tentauerit, ſecundò tertióve commonita, niſi præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoríſque ſui dignitate careat, reámque ſe diuino iudicio exiſtere, de perpetrata iniquitate, cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eiſdem locis ſua iura ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hîc fructum bonæ actionis

Digitized by Google

percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen. DATVM Ferrariæ per manum Gratiani Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi & Notarij V. Calend. Maij Indict. X. Incarnationis Dominicæ Anno 1177. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ tertij decimo octauo.]

Sed quæſo te (vir modeſte) vndenam priuilegio Alexandri III. hîc à te relato, & duo duntaxat, vt ſupra vidimus continenti; alterum de poteſtate Fratres & Conuerſos etiam ab excommunicationis vinculo abſoluendi; alterum de facultate conferendi Tonſuras Abbati Præmonſtratenſi conceſſa, tanta vis ineſt, vt *quidquid eſt Ludouico expoſitum, falſum & ſubdititium oſtendat?* quemadmodum aſſeris pag. 202. Quæ quæſo tam ſubtilis ac potens diplomatis iſtius cum aliis Pontificum indultis antipatia, vt *verum* cum *veris* ſtare omnino non poſſit? An ſic ex tuo contactu, ſeu citatione fœdantur inficiunturque res ſanctiſſimæ, vt ſanctioribus ac germaniſſimè confœderatis repudium ſempiternum, perniciem, exitium certum neceſſariò afferant? An potius tu de genere es melancholicorum iſtorum, qui inuiſas arces ac propugnacula firmiſſima leui flatu, vel

ſolâ digitorum ad ea directione ſibi videntur euertere? cum hæc ſtent intereà, prodaturque hoc facto ſolummodo cerebri tranſuersà mutati periculoſa infirmitas. *Hoc priuilegium*, ais, *certis quibuſdam definitur conditionibus*, *quæ quidquid eſt Ludouico expoſitum, falſum & ſubdititium oſtendunt.*

Niſi fortè à tibi familiari negatiuo argumento hîc non recedis; contendens quidquid ex ſummorum Pontificum indultis eſt Ludouico expoſitum, falſum & ſubdititium eſſe, quoniam id totum in allato à te Alexandri III. diplomate non habetur expreſſum: quod quidem quàm ſit ridiculum, pudet pluribus aperire.

In eo denique quod poſtremò opponit pag. 202. ſimplicis admodùm figuræ ſe Theologum teſtatur; quippe qui, puerorum in morem legens, errorem ſcribæ vel typographi tam apertum non deprehenderit: quartum nimirùm pro quinto irrepſiſſe, vti ipſiſſima verborum ſeries in Alexandri V. priuilegio multoties ab Inquiſitore relato publicè expoſita clariùs euincit, quàm vt dubitandi locus vlli quantumlibet repugnanti relinquatur.

Quod autem addit Inquiſitor in fine pag. 203. *Hubertum Præmonſt. Abbatem con-*

Digitized by Google

fidentiâ pari cum Carolo 8. ſe geſſiſſe , *ac cum Ludouico 11. ſe geſſerat, dum ab eo priuilegium obtinuit, in quo Ludouici 11. diploma repetitur & confirmatur*, teſtimonium eſt ſinceritatis ac fidei ipſius Huberti omni exceptione maius : ecquis enim eò prorupiſſet impudentis audaciæ, vt Regi, regnique proceribus ſuſpecta, ſuppoſititia, falſa documenta inſpicienda, palpanda, examinanda iterùm ac tertiò voluiſſet obtrudere ? quorum certè falſitas tam aperto, vt vidimus, plurium annorum vſu ſingulis expoſita, tot Argorum, tot Illuſtriſſimorum Antiſtitum in Eccleſia Dei vigiles oculos nunquam potuiſſet effugere.

Digitized by Google

CAPVT XIX. AD XVIII. INQVISITIONIS RESPONDENS.

Legendo decipitur Inquiſitor, & in confirmatione deficit.

HIC tandem ab incauto mendaci ſcintillula veritatis excidit, dum fatetur *plura eſſe à Romanis Pontificibus Ordini Præmonſtratenſi conceſſa priuilegia, eaque ab Rege (* vtique Ludouico II. potiſſimùm *) confirmata.* Quamquam hæc grunniendo à calumniarum volutabro ſus non egrediatur: nimirùm *priuilegiis* (ait *) ſic ab Rege confirmatis Præmonſtratenſes non obtemperant.*

Et ne hæc in nos gratis aut temerè iactaſſe videatur, duo aſſignat, *in quibus inſigne ait reperiri exemplum non parendi ipſis priuilegiorum largitoribus* : alterum, *Pontificibus Honorio II.* pag. 207. *Innocentio II.* pag. 208. & *Hadriano IV.* ibidem *inſtituta beati Norberti, modum regulæ, & prærogatiuam Religionis, quæ in Præmonſtrata Eccleſia*

Digitized by Google

obſeruabatur, quæque in aliis Eccleſiis dignoſcebatur inſtituta, confirmantibus, eaque vt ab Ordinis profeſſoribus diligenter obſeruarentur præcipientibus; Præmonſtratenſes non parere, ſed hæc omnia contemnere ac negligere. Alterum, *Pontificibus Lucio* III. pag. 209. *Clemente* III. *Innoc.* III. *Honor.* III. *Gregor.* IX. *Innoc.* IV. *Vrb.* IV. *& Gregor.* X. pag. 210. *vetantibus, ne Præmonſtratenſes Abbates, Præpoſiti, & Canonici ad ſæcularium Iudicum forum confugiant; eoſdem Præmonſtratenſes ab eiuſmodi foro ſæcularium ſe non abſtinere; ſed vnum ex iis nuper ab Officiali Laudunenſi damnatum, Metropolitanam Rhemorum haud appellaſſe Eccleſiam, ſed Senatum Pariſienſem; à quo decretum obtinuit, quo cauſa Officiali Laudunenſi interdicitur.*

Sed vir bonus ad tenorem verborum Lucij, aliorumque Pontificum non aduertit, in iiſque egregiè eſt hallucinatus; nimirum non vetant illi Pontifices ne noſtri, cum Actores erunt, forum rei ſequantur, & ad ſæcularium Iudicum auditorium, ſi caſus exigat, prouocent; ſed omnino prohibent oppoſitum, ne videlicet ab aliis ad ſæcularia iudicia prouocentur. *Prohibemus* (inquiunt) *ne aliqua perſona fratres Ordinis veſtri audeat ad ſæcularia iudicia prouocare,*

Digitized by Google

ſed ſi quis aduersùs eos ſibi crederet de iure competere, ſub Eccleſiaſtici examine iudicij experiendi habeat facultatem. Eccleſiaſtici porro examen iudicij contra Præmonſtratenſes fieri debet in Capitulo Generali, iuxta hæc eiuſdem diplomatis verba: *præterea duximus inhibendum ne quis Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, aut eorum Officiales Eccleſias veſtras, ſeu regulares perſonas earum abſque manifeſta & rationabili cauſa interdicere, ſeu ſuſpendere præſumant; ſed ſi quid in his fuerit corrigendum, ad audientiam Generalis Præmonſtratenſis Capituli referatur, & ibi prout iuſtitiæ & honeſtati congruerit, emendetur. Porro ſi qui Epiſcopi aut eorum Officiales in perſonas veſtras vel Eccleſias* SENTENTIAM ALIQVAM *contra libertatem eiſdem à prædeceſſoribus noſtris, vel à nobis indultam promulgauerint, eandem ſententiam tanquam contra Apoſtolicæ Sedis indulta prolatam, ſtatuimus irritandam. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentauerit, ſecundò, tertiòve commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, &c. Reamque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine, &c.* Quibus quidem ex verbis patet

quàm exactè fideliterque Laudunenſis Epiſcopus, eiuſve Officialis huic priuilegio & indulto paruerit; inſontem Religioſum, liberum, ſibi non ſubditum, ſemel atque iterum à ſuperioribus iuridicè repetitum negando, perſequendo, cruciando; in quas pœnas reus vterque inciderit; quàm iuſtè ab abuſu, iuriſque Pontificij tam aperta violatione Sammartinenſis Procurator ad ſenatum Pariſienſem prouocauerit, & quàm iuridicè idem Senatus Officiali Laudunenſi cauſam interdixerit decreto ſuo.

Quod igitur ad primùm attinet, videlicet *Præmonſtratenſes nonnullos, & eos maximè qui Monaſterium ſancti Martini Laudunenſis incolunt, beati Norberti inſtituta non obſeruare, Regulæ Auguſtinianæ partes non implere ſingulas, imò partem eius negligere maximam, & Pontificum mandatis nullatenùs parere*, calumnia eſt apertiſſima, quę tot ſui condemnatores ac exploſores habet, quot Monaſterij Sammartinenſis inſpectores. Quod vnicuiq; vel ex eo abundè perſuaſum erit, quod cùm impoſtor circa hoc primum tria ſibi probanda propoſuiſſet pag. 205. nempe *beati Norberti inſtituta, horum obſeruandorum partes impoſitas, & Præmonſtraten-*

ſium in ijs obſeruandis contemptum & negligentiam. In tertio (quod potiſſimum erat) defecit ; nec quidquam in particulari aſſignare potuit, vnde iudicarentur Sammartinenſes à Norbertinis inſtitutis vel lato vngue recedere, ſuam ſolummodo pro omni dictorum confirmatione inſcitiam oſtentans ; ac futurorum tam temerariâ quàm iniquâ prædictione diuinitatem mentiens, *ſcio*, inquit pag. 209. (credite poſteri) *cùm alios, tùm eos maximè qui Monaſterium ſancti Martini incolunt Norberti regulæ partem negligere maximam & Pontificum mandatis nullatenùs parere. Quòd ſi regulæ partes ſingulas implere cogerentur, in eos qui cogerent, tumultuoſiſſimè inuaderent, & ad quodcumque ſupremum auditorium ex abuſu prouocarent, &c.*

Sed hîc vnum te rogo (lector beneuole) attendas nimirùm quo ratiocinio hîc tam iucundè paſcatur Inquiſitoris animus : ſcilicet, *in veteribus* (ait) *Præmonſtratenſium Clericorum priuilegiis inſigne reperitur exemplum non parendi ipſis priuilegiorum largitoribus.* Sed quid ſit exemplum, & quòd legis tranſgreſſio non in ipſa lege, cuiuſmodi ſunt priuilegia, ſed in ſubditorum actis reperiatur, vetulus noſter planè neſcit.

Atque ex hoc antecedente ſic argutè concepto, conſequens Launoio dignum eruitur: nimirum, *ſi qui Præmonſtratenſes priuilegiorum largitoribus in quibuſdam non parent: importunè & imprudenter Auguſtinus Præmonſtratenſis Abbas, alijque Monaſteriorum Ordinis Canonici priuilegia ſua Epiſcopis opponunt:* puta quibus nec obtemperare debebunt ipſi Epiſcopi. Verùm quàm ſatior eſſet & ſanior hîc concludendi modus: *ſi qui Præmonſtratenſes priuilegiorum largitoribus non parent*, ab Abbate Præmonſtratenſi, Capitulo Generali, & Viſitatoribus adigendi ſunt vt pareant (quemadmodum fit diligentiſſimè,) vt debita Eccleſiæ Capiti ab omnibus, ſeu Epiſcopis, ſeu inferioris Ordinis Chriſti fidelibus exhibeatur ſubiectio & obedientia.

Cæterùm pudet hîc pluribus aduersùs calumniatorem inſurgere, noſtrorumque laudem & panegyrim edere. Hanc edunt quotquot æqui rerum æſtimatores Præmonſtratenſe, Sammartinenſe, aliaque Monaſteria noſtra inuiſunt: hanc edidit ſæpeſæpius moderni Epiſcopi Laudunenſis pius deceſſor Philbertus de Brichanteau, omnium interiorum noſtrorum multoties teſtis oculatus, ſolitus apud

nos

nos (quò ab Epiſcopalibus oneribus reſpiraret) amicè diuertere, ſpiritualibuſque decem dierum exercitiis mentem reficere, quo purior atque vegetior Angelicis humeris formidanda munera obiret.

CAPVT XX. AD XIX. CAP. INQVISITIONIS RESPONDENS.

Ex Alexandro II. & Clementina à ſe laudatis iudicatur Inquiſitor, &c.

NON ſolum in recentioribus (ſi fortè quod centum quinquaginta octo annos excedit recens aut recentius ab Inquiſitore iure dici poſſit,) ſed & in antiquioribus Præmonſtratenſium Clericorum priuilegiis facultas datur ſtatuta mutandi, & noua toties quoties opus erit pro temporum, locorum, perſonarum, & occurrentium caſuum varietate & exigentia condendi, ordinandi, atque promulgandi. Verùm hoc titulo quædam capita prænotari debuerunt ab Inquiſitore, vt ſe quæcumque

extant in Bibliothecario legiſſe homo conductus oſtentaret.

Porro tria præſtat hoc in capite: primò diploma Iulij II. ex parte refert, quo *Præmonſtratenſibus facultas conceditur antiqua ſtatuta interpretandi, limitandi, annullandi, & noua toties quoties opus fuerit, condendi, ordinandi, & promulgandi, dummodo ordinationes & ſtatuta eiuſmodi à ſacris Canonibus non deuient.* Secundò in fine pag. 213. fragmentum ponit reſcripti Alexandri II. ad Geruaſium Rhemenſem Epiſcopum. Tertiò in fine pag. 214. Clementinam *Archiepiſcopo* repetit pari fide & corruptione, quâ antea notauimus reſpondendo ad cap. 2. Inquiſitionis.

Primùm igitur admitto lubens, contendoque Præmonſtratenſium conſuetudines, ordinationes, & ſtatuta, ſeu antiqua, ſeu noua à ſacris Canonibus ne lato quidem vngue recedere. Id autem vt fiat apertum, argumenta longè non quæro, cum textus ipſe ex Alexandro II. ab Inquiſitore relatus rem totam conficiat: *miramur* (inquit Alex. II. Geruaſium alloquẽs) *tuæ prudentiæ videri prædicta priuilegia diſſentiri Eccleſiaſtico Canoni; cùm conſtet apud te, alias eſſe leges Eccleſiarum, quæ Gene-*

rales ſunt; alias eſſe, quæ ſpecialiter in priuilegiis quibuſdam prærogantur Eccleſiis ad immunitatem, ne quorumlibet importunitate patiantur inquietudines.

Vnde patet in Canonibus Eccleſiaſticis alias contineri leges, quæ generales ſunt & communes omnibus Eccleſiis; alias ſpeciales, quæ quibuſdam prærogantur Eccleſiis ad immunitatem, ne quorumlibet importunitate patiantur inquietudines. Cùm igitur in conſtitutionibus & ſtatutis Præmonſtratenſium, ſeu antiquis, ſeu recentioribus omnia ſint, ſeu legibus Eccleſiæ Generalibus, ſeu ſpecialibus Ordini Præmonſtratenſi expreſsè per ſummos Pontifices ad immunitatem conſtitutis maximè conformia, nihilque omnino ſit ab Eccleſiaſticis eiuſmodi Canonibus vel minimùm deuians: quis non cum Alexandro II. *miretur*, Inquiſitoriæ *imprudentiæ videri Præmonſtratenſia priuilegia diſſentiri Eccleſiaſtico Canoni?*

Imponit igitur Alexandro II. Inquiſitor, cum ait initio pag. 214. *Quod intellexerat Alexander II. danda non eſſe priuilegia, quæ à generalibus Eccleſiæ legibus diſſentiant. Neque enim* (ait Gloſſa Iuonis in cauſam 25. q. 1.) *priuilegia aliquibus concederentur, ſi præ-*

ter generalem legem nulli aliquid ſpeciale indulgeretur.

Clementinæ non minùs fœdè ac turpiter imponit hîc pag. 214. ea quippe Archiepiſcopo, vel Epiſcopo ius non concedit, vt in locis exemptis ſacramenta Confirmationis, aut Ordinis conferre queant, (quod ne fieret à Laudunenſi, Præmonſtratenſes impediuere) ſed vtrique ius iſtud planè & apertè adimit, his verbis: *ſic tamen quòd prætextu conceſſionis huiuſmodi in locis exemptis &c. nullam aliam juriſdictionem* (præterquam vt populo benedicere & in iis celebrare poſſint) *idem Archiepiſcopus vel Epiſcopus exerceat &c.*

Putidè etiam Clericis Præmonſtratenſibus imponit, cum ait pag. 214. circa medium, *eos præſentibus Epiſcopis ſibi ius arrogare benedicendi populo*: quis enim vidit vnquam Clericum Præmonſtratenſem publicè benedicentem populo? quantò minùs præſentibus Epiſcopis? Fateor equidem noſtros Sammartinenſes impediuiſſe, ne Laudunenſis Epiſcopus in Eccleſia Sammartinenſi populo congregato benedictionem ſolemnem impertiret; (quod quidem ex Clementina citata forſitan potuiſſet, niſi Alexandri V. lex poſterior & ſpe-

Digitized by Google

cialis, in Oecumenico Baſileenſi Concilio approbata & confirmata, per ſuccedentes ſummos Pontifices Ioan. 23. Eugen. 4. & Gregor. 13. inſtaurata, vſu & conſuetudine plurium ſæculorum corroborata obſtitiſſet.)

His accedet vt cumulus; quælibet ſummorum Pontificum indulta & decretales Epiſtolas æqualis eſſe authoritatis, ac ſi Codici Canonum insererentur: Ita definit Agatho Papa cap. Sic omnes, diſt. 19. *Sic omnes*, ait, *Apoſtolicæ Sedis Sanctiones accipiendæ ſunt, tanquam ipſius diuini Petri voce firmatæ ſint.* Et cap. Si Romanorum diſt. 19. *Decretales Epiſtolæ Romanorum Pontificum ſunt recipiendæ, etiamſi non ſint Codici Canonum compaginatæ: quoniam inter ipſos Canones vnū beati Leonis Capitulum conſtat eſſe permixtum, quo ita omnia decretalia conſtituta Sedis Apoſtolicæ cuſtodiri mandantur, vt ſi quis in illa commiſerit, nouerit ſibi veniam denegari.* Et additur: *His ita, diuinâ fauente gratiâ, prælibatis, oſtendimus nullam differentiam eſſe inter illa decreta, quæ in Codice Canonum habentur Sedis Apoſtolicæ Præſulum, & ea quæ præ multitudine vix per ſingula voluminum corpora reperiuntur: cùm omnia & omnium deceſſorum ſuorum decretalia conſtituta atque docretales Epiſtolas,*

quas beatiſſimi Papæ diuerſis temporibus ab vrbe Roma dederunt, venerabiliter fore ſuſcipiendas & cuſtodiendas, eximios Præſules, Leonem ſcilicet & Gelaſium, mandaſſe probauimus.

Vnde patet quàm pueriliter & abſurdè generales Canones Inquiſitor inclamet, quaſi verò ij ſolummodo agnoſcantur in Eccleſia Dei; cùm Ius Canonicum, Concilia Oecumenica, ſummi Pontifices, etiam ſpeciales circa exemptos, *ſeu Epiſcopos à Metropolitani poteſtate, ſeu Capitula ab Epiſcopi ſuperioritate, ſeu Regulares ab Ordinariorum iuriſdictione*, ediderint, communibus hiſce derogantes, eiuſdemque cum illis firmitatis atque authoritatis; à quibus ſi Præmonſtratenſes conſtitutiones nulla ratione deuient (vti nulla ratione deuiant) nunquid Inquiſitor ſtultè inquirit, & in inquiſitione deficit?

Digitized by Google

CAPVT XXI. AD XX.
INQVISITIONIS RESPONDENS.

Inſulsè Tridentinum garrit Inquiſitor.

QVÆ tria hîc Inquiſitor in fine pag. 217. ſe iam notaſſe aſſerit, (ac tam importunè & inſulsè repetit, quàm ignoranter & miſerè notauerat) quàm vana ſint ac nulla, plus ſatis oſtendimus paſſim, vbi & Præmonſtratenſium omnimoda ab Epiſcopali authoritate exemptio eſt aſſerta, & Abbatis Præmonſtratenſis, Patrum Abbatum, Vicariorum, Viſitatorum, Superiorum localium extra Capitulum generale, ne vel ad momentum vllæ culpæ impunitæ remaneant, juriſdictionis executio quotidiano vſu ac praxi eſt confirmata. Vnde ad ineptam & toties falſi conuictam repetitionem hîc non vlterior reſponſio.

Pergit verò Canonum Cantillatoris ignorantia loquax, & ex ſacro-ſancta Tridentina Synodo extra rem propoſitam bene multa, minimè intellecta, in Sanger-

manenſi &Sammedardenſi Inquiſitionibus effutita, etiamnùm hîc tertiò Conciliorum nouellus Interpres garrit; quæ, quoniam à R. P. Quatremario in priuilegij Sammedardenſis propugnatione Capitibus 11. 12. 13. 14. 15 16. abundantiſſimè ac neruoſiſſimè confutata ſunt & exploſa, pluribus hîc non vrgeo.

Viderit interea Inquiſitor incautus, quàm parum hîc aut ſibi, aut Illuſtriſſimorum Epiſcoporum Honori ipſe prouideat: aut enim locum illum ſeſſ. 7. cap. 8. Concil. Trid. hîc pag. 218. relatum, eo modo intellexerunt Antiſtites Illuſtriſſimi, quo Launoius; vt Eccleſias quaſcumque quomodolibet exemptas Apoſtolicâ authoritate ſingulis annis viſitare tenerentur; aut intellexerunt alio modo: ſi alio modo intellexerunt; temerè ſaperda noſter in Ordinem ſacrum impingit, contra tot Gigantes fatuè pugnans homuncio: ſi intellexerunt eodem modo; vt quid Oecumenici Concilij mandatum tot annos ipſi neglexerunt?

Nec magis cautè pag. 219. initio refert à Concilio Trid. ſeſſ. 7. cap. 14. innouatam fuiſſe Conſtitutionem Innocentij 4. in Concilio Lugdunenſi editam; quæ ſic in-

cipit, *volentes, &c.* quaſi Monaſteria exempta Epiſcoporum ordinariæ hæc conſtitutio ſubiecerit poteſtati. Nimirum in ea ſancitur, *Exemptos nec coram Ordinariis ipſis conueniri poſſe, &c. dummodo ſit in loco exempto commiſſum delictum, vel contractus initus, aut res litigioſa conſiſtat.* Quid eſt porro confirmare Monaſteriorum, locorumque exemptiones, niſi hoc ſit?

Caput verò 8. ſeſſionis 2[illegible] Concilij Trid. in fine eiuſdem pag. 219. ab Inquiſitore relatum, extra rem eſt, & ad Præmonſtratenſes nihil attinet, cum illud totum conceptum ſit de Monaſteriis commendatis, nec in *Congregatione*, nec ſub *Ordinis Capite* conſtitutis, & in quibus *non viget obſeruantia Regularis*: quæ omnia in Præmonſtratenſium Monaſteria non cadunt. *Epiſcopus* (inquit ſacra Cardinalium Concilij Trid. Interpretum Congregatio in illud cap.) *non debet ſe interponere in Monaſteriis, in quibus viget obſeruantia Regularis, licet Monaſteria ſint commendata.* Item: *Si in Monaſteriis Commendatis viget obſeruantia Regularis, non poteſt Epiſcopus ea viſitare.*

Et in articulis Regi Chriſtianiſſimo per Archiepiſcopos & Epiſcopos Galliæ con-

Digitized by Google

gretatos oblatis, & ab Rege die 22. Ianuarij an. 1574. confirmatis, hic continetur ordine 41. *Que les Abbez Chefs d'Ordre, & autres Superieurs des Ordres non ſubiets aux Eueſques, qui ont iuriſdiction legitime ſur les autres Monaſteres inferieurs & Prieurez, viſitent ſelon leur office & debuoir les meſmes Monaſteres & Prieurez à eux ſubiets, chacun en ſon lieu & en ſon ordre, encor qu'ils ayent eſté baillez en commande, & ceux qui ont la charge & gouuernement des ſuſdits Monaſteres ſoyent tenus de receuoir leur ſuſdits Viſiteurs, & mettre à execution leurs ordonnances. Et auſſi que les Monaſteres qui ſont Chefs d'Ordres ſoyent viſitez ſelon les Conſtitutions du ſaint Siege Apoſtolique & de châque Ordre.*

Illud ipſum pro Præmonſtratenſi Ordine nominatim anno 1571. die verò menſis Ianuarij 27. iam ordinauerat Rex Chriſtianiſſimus patentibus litteris, in Parlamento Pariſienſi 12. Maij eiuſdem anni regiſtratis & verificatis; Eidem Parlamento, aliiſque Toloſanenſi, Burdegalenſi, Rothomagenſi, Diuionenſi, Rhedonenſi, atque inferioribus Iudicibus diſtrictiſſimè præcipiendo mandans, vt Abbati Præmonſtratenſi, eiuſque Vicariis, Viſitatoribus, atque aliis Ordinis Præm. Superiori-

bus viſitationes & alia in dictis litteris contenta exequentibus efficacis deffenſionis ac protectionis mediis aſſiſterent; quemadmodum videre eſt fuſiùs & expreſſiùs in iiſdem litteris, quæ fuerunt in cauſa productæ.

Quæ quidem omnia ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 20. deprompta fuerant, vbi dicitur: *Abbates qui ſunt Ordinum Capita, ac cæteri prædictorum Ordinum ſuperiores Epiſcopis non ſubiecti, quibus eſt in alia inferiora Monaſteria, Prioratuſve legitima iuriſdictio, eadem illa ſibi ſubdita Monaſteria & Prioratus, ſuo quiſque loco atque ordine ex officio viſitent, etiamſi commendata exiſtant. Quæ cum Ordinum ſuorum Capitibus ſubſint, declarat ſancta Synodus, in iis, quæ aliàs de viſitatione Monaſteriorum Commendatorum definita ſunt, non eſſe comprehenſa: teneanturque quicumque prædictorum Ordinum Monaſteriis præſunt, prædictos viſitatores recipere, & illorum ordinationes exequi. Ipſa quoque Monaſteria quæ ſunt Ordinum Capita, iuxta S. Sedis Apoſtolicæ, & cuiuſque Ordinis conſtitutiones viſitentur. Et quandiu durabunt eiuſmodi commendæ, Priores Clauſtrales, aut in Prioratibus Conuentum habentibus Suppriores, qui correctiones & ſpirituale regimen exercent, à Capitulis Generali-*

Digitized by Google

bus, vel ipſorum Ordinum viſitatoribus inſtituantur. In cæteris omnibus præfatorum Ordinum priuilegia & facultates, quæ ipſorum perſonas, loca, & iura concernunt, firma ſint & illæſa. Talia proferat Inquiſitor, tam non diſtorta, tam aperta, tam indubia, ſic impugnatorem ligantia. Hæc vidit, hæc audiuit; his imperitè ſaltans intra metas reduci non potuit.

Extra rem ſimiliter illud eſt quod ex ſeſſionis 24. cap. 11. Inquiſitor garrit: Ibi enim, non de priuilegiis Exemptionis ab Epiſcopali iuriſdictione integris Religioſis Ordinibus conceſſis; ſed de iis, quæ ratione quorumdam titulorum honorariorum, vt Protonotariatus, Comitis Palatini, Capellani Regij, &c. pleriſque conceduntur, ſermo inſtituitur, quemadmodum inſpicienti paterit. Vnde mirum eſt Inquiſitorem ſic voluiſſe hominum credulitati imponere.

Paginâ 221. refert ſeſſionis 25. caput 4. ſed mutilum, ac prauè intellectum. Mutilum dico: quia primam huius partem ſuppreſſit, quâ cauetur *ne quis Regularis ſine ſui ſuperioris licentia prædicationis, Electionis, aut cuiuſuis pij operis prætextu ſubiiciat ſe obſequio alicuius Prælati.* (Proinde nec Epiſ-

copi. *) Quod ſi contra fecerit, tanquam inobediens arbitrio (*non Epiſcopi*) ſed ſuperioris puniatur.* Prauè autem intellectum: quoniam ad caſuum hîc memoratorum circunſtantias, & ad authoritatem quâ Epiſcopi tunc agerent, & quibus conditionibus tunc agerent, ipſe non aduertit.

Cauit autem diligenter, cum ad Caput illud quartum legendo peruenit, ne ad Caput octauum, ne ad 11. ne ad 20. ſeſſionis eiuſdem accederet: vbi tota ad amuſſim confirmatarum & conſeruandarum exemptionum ſeries tam latè & plenè diſponitur, quàm exemptus quiſque optare poſſet.

Addo & in Generalibus Regni Comitiis an. 1614. propoſitionem factam eſſe per Epiſcopos & reliquos Cleri Gallicani Proceres, vt Concilium Trid. promulgaretur & reciperetur, *ſaluis Regis ipſius Iure, Eccleſiæ Gallicanæ immunitatibus, priuilegiis, & exemptionibus Capitulorum, Monaſteriorum & ſodalitatum*; pro quibus priuilegiis, immunitatibus, & exemptionibus ſupplicaretur, vt reſeruari poſſent, *& in integro permanere, vtque illis ea publicatio nullo modo præiudicaret.* Ita Mercur. Gall. tom. 3. pag. 117.

CAPVT XXII. AD XXI. INQVISITIONIS RESPONDENS.

Præpoſterè Conciliorum Canones laudat Inquiſitor, Clementi VIII. imponit, &c.

HOc in Capite, quemadmodum in præcedenti, manifeſta fit Inquiſitoria confuſio atque garrulitas; ſicut enim illic è Tridentino multa ad rem non pertinentia retulit, rem abſoluentia reticuit: Ita hîc ex Conciliis Calchedonenſi, Aurelianenſi, Epaonenſi, Arelatenſi, Toletano 4. Vernenſi, Canones ſat multos profert, ad Clericos, Presbyteros, Abbates Epiſcopis omni iure ſubiectos ſpectantes; quique non magis de Regularibus exemptis, ac Religioſis priuilegiatis Ordinibus dictati atque concepti ſunt, quàm Odyſſea de Ioannis Launoij diuagationibus. Legantur pag. 228. & 229. relegantur, veritas agnoſcatur, garrulitas confundatur.

Digitized by Google

Ad hos nihilominus Canones Clementem VIII. reſpexiſſe aſſerit, hos appellaſſe, cùm priuilegia, libertates, immunitates, prærogatiuas, antelationes, conceſſiones, & gratias nobis indultas Apoſtolicâ authoritate firmauit, & confirmando addidit, *quatenus illæ Concilij Trid. decretis, aliiſque ſacris Canonibus, &c. non repugnent.* Quaſi ſimul ſtare poſſent hæc duo, *priuilegia, libertates, immunitates ab Epiſcopali iuriſdictione poſſidere*; Et, *Epiſcopali authoritati ac directioni per omnia ſubeſſe.* Item; *Præmonſtratenſem Ordinem ac eius Religioſos vniuerſos ſpecialibus fauoribus & gratiis benignè proſequi; & vt priuilegiis, indultis & gratiis à Romanis Pontificibus ac Apoſtolica Sede, eorumque de latere Legatis & Nuntiis eidem Ordini conceſſis perpetuò pacificè frui & gaudere valeant, opportunè prouidere velle.* (Quod de ſe teſtatur ſanctus ille Pontifex noſtra confirmando.) Et, *velle, vt Ordo Præmonſtratenſis, eius Abbates, ac Religioſi vniuerſi Epiſcopalem in ſe iuriſdictionem & directionem admittant in omnibus*; quod importarent Canones ab Inquiſitore laudati.

Diſcat igitur Inquiſitor, cum in priuilegiorum & exemptionum confirmationibus ſimiles inſeruntur clauſulæ, *quatenus*

ſacris Canonibus non repugnent : ibi per Canones, intelligi non poſſe eos, à quorum obſeruatione data eſſet ipſa libertas & exemptio; ſed eos duntaxat qui ſpectarent ad fidem, morum integritatem, aut alia iuris Communis, &c. ad quæ ipſa exemptio expreſsè ſe non deberet extendere.

Præterea (inquit pag. 230. *) ſuccurrit inuicta ratio, qua conuincitur voluiſſe Clementem, vt Exemptorum quorumcumque, atque in primis Præmonſtratenſium, ſicut apparet, ſi tamen Exempti ſunt, quomodo Exemptos ſe eſſe credunt, priuilegia ſacris Canonibus locum faciant. Hic Pontifex cùm alia Romanæ Eccleſiæ officia, tùm maximè Pontificalem librum corrigi, atque inſtaurari curauit. In ritu & ordine, qui ordinandis Presbyteris deſignatur, extare, retineri, ſeruarique voluit formulam profeſſionis ſequentis. Si vero Pontifex non eſt ſuus Ordinarius dicit ſingulis, cum manus eorum inter ſuas tenet, vt præfertur : promittis Pontifici, vel Prælato, Ordinario tuo, pro tempore exiſtenti reuerentiam, & obedientiam? & ille reſpondet, promitto.* Vnde colligit, nullam eſſe Sæcularis & Religioſi, Monachi vel Canonici, Exempti vel non Exempti diſtinctionem; ſed ab omnibus æqualiter Epiſcopo promitti obedientiam & ſubiectionem.

Sed

Sed hanc inuictam rationem egregiè vincit futilemque demonſtrat R. P. Quatremarius, aduocato duntaxat quartæ claſſis auditore, qui verbatim explicet quid ſit, *promittis Pontifici, vel Prælato, Ordinario tuo, &c.* qui oſtendat dictionis diſiunctiuæ *vel* hoc loco vim & ſenſum: qui dicat poſt vocem *Prælato* appictam eſſe in Pontificali virgulam eo loci neceſſariam, aut eius loco parentheſim, quam in allegando expunxit Launoius, ſæpe aliàs plagij manifeſtus. Qui dicat, non eundem illic eſſe *Pontificem* & *Prælatum*: qui doceat vocem, *Ordinario*, eſſe *Pontifici* & *Prælato* communem: qui oſtendat fruſtra fuiſſe poſitas voces iſtas *vel Prælato*, niſi de alio, qui non ſit *Pontifex* intelligendæ eſſent: denique ſic intelligendam eſſe interrogationẽ, *promittis Pontifici Ordinario tuo?* Vel *promittis Prælato ordinario tuo?* aut, ſi tota ſimul proponatur, non intelligendam, niſi in ſenſu accommodo; proinde nec niſi illo in ſenſu accipiendam Regularis exempti promiſſionem.

Porro ſi Pontificale Clementinum conſuluiſſet, legiſſet illic clariſſima Clementis ipſius, & totius Eccleſiæ Catholicæ pro Exemptis teſtimonia. Legiſſet diſtinctam

Abbatis benedictionem *authoritate Apoſtolica*, ab ea quæ fit *authoritate Ordinarij*. Legiſſet aliam eſſe *Abbatis Exempti*, aliam *non Exempti* profeſſionem: ſic enim Pontificalis pag. 136. interrogatio. *Vis ſanctæ matri Eccleſiæ Romanæ, ac ſanctiſſimo Domino noſtro ſummo Pontifici, eiuſque ſucceſſoribus fidem, ſubiectionem, obedientiam, & reuerentiam deuotè & fideliter per omnia perpetuò exhibere? R. Volo. Si vero benedicendus exemptus non eſt, neque authoritate Apoſtolicà, ſed ab Ordinario ſuo Pontifice benedicitur, poſt prædictas omnes interrogationes ſubiungitur etiam ſequens, quæ aliàs omittitur, quando benedicendus eſt ab Ordinaria iuriſdictione exemptus. Vis ſanctæ Eccleſiæ.* N. Nominando Eccleſiam Patriarchalem, Metropolitanam, ſeu Cathedralem, cuius Prælati iuriſdictioni Electus Abbas, ſeu eius Monaſterium, ſubiecti exiſtunt, *mihique eiuſdem Patriarchæ, vel Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, & meis ſucceſſoribus fidem, ſubiectionem, obedientiam & reuerentiam deuotè & fideliter perpetuò exhibere? R. Volo.*

Si probè legiſſet, Inquiſiiſſet, ſapienter inueſtigaſſet: inueniſſet vtique in Pontificali Romano, primùm Clementis VIII. denuò Vrbani VIII. authoritate reco-

Digitized by Google

gnito pag. 64. de ordinat. Præsbyt. hanc formulam : *Si verò Pontifex non eſt ſuus Ordinarius, cum manus eorum inter ſuas tenet, vt præfertur, dicit ſingulis Præsbyteris ſæcularibus : promittis Pontifici Ordinario tuo, &c. ſingulis verò Regularibus : promittis Prælato Ordinario tuo, &c. promittis Pontifici (vel Prælato) Ordinario tuo pro tempore exiſtenti reuerentiam & obedientiam ? & ille reſpondet : promitto.*

Poſtremò ſi vetus Pontificale Romanum conſuluiſſet an. Domini 1520. Venetiis editum, & ipſum cum Clementino contuliſſet: animaduertiſſet Clementem adeò non dictaſſe formulam ad eum ſenſum, quem ſomniat, vt potiùs ad contrarium prorſus dictauerit : prius enim illud formulam iſtam hoc modo exhibet, *promittis Pontifici Ordinario tuo pro tempore exiſtenti reuerentiam & obedientiam ?* vbi vides deeſſe dictionem diſiunctiuam & ſequentem *vel Prælato.* Clemens autem vtramque addi & ſcribi voluit, ſic dicendum iubens : *promittis Pontifici, vel Prælato, Ordinario tuo, &c.* Captum ergo ſenſu eſſe ac mente neceſſe eſt illum, qui ea de cauſa his vocibus *vel Prælato* ab ipſo Clemente auctam formulam non agnoſcat, vt Regularium exem-

Digitized by Google

ptionem approbaret, confirmaret, defenderet, ſancta & illabata vt ſit, velle omnino ſe demonſtraret.

Regularia Præmonſtratenſis Ordinis inſtituta (ait Inquiſitor pag. 233.) *ſunt ea maximè, quæ Sedes Apoſtolica confirmauit. Quæ verò confirmauit, Epiſcopalem vigilantiam, curam & correctionem non excludunt; ſed in euentibus neceſſariis aduocant. Præclara ſunt in eam rem teſtimonia, quæ cap. 3. 4. 5. 6. referuntur.* Ea igitur ex integro ab Lectore beneuolo legantur; & videatur vtrum ſubiectionem ad Epiſcopos ſignificent, & non potiùs omnimodam ab eorum iuriſdictione exemptionem.

Pergit verò hîc pag. 234. Babylonem ædificare furore inſaniens confuſionis filius; illicque ſibi ſede erectâ, de gutture ſuo, *ſepulcro vtique patenti* altùm vomit, vomituque ſuo ſummos Pontifices, Concilia Oecumenica, Ius denique ipſum reſpergit, his verbis: *Sic in omnium hominum, & præſertim Chriſtianorum vita, probatur mutatio, quæ fit in melius, culpatur quæ fit in deterius. Hic rerum ſtatus, hæc agendi ratio videtur negligi, cum Monachis vel Clericis datur ab omni Epiſcoporum ſubiectione & obedientia Exemptio. Quæ enim tunc interuenit mutatio, in peius, non*

in melius interuenit. En vt ſommos Pontifices, *quos omnes pag. 17. dixit, ſcire ſe ad bonum Eccleſiæ totius creatos eſſe, & in illud diligenter incumbere*, dictorum immemor probris afficit. Quaſi mutatio illa, qua fit vt Religioſi excellentiori via gradientes, Epiſcoporum iuriſdictioni, aliquando etiam oppreſſioni ſubducantur, (ſic enim loquitur ſanctus Anſelmus in Epiſtola ad ſummum Pontificem pro obtinenda Exemptione Monaſterij ſui: *non enim ignotum eſſe puto excellentiæ veſtræ, quia plures Epiſcopi non tam gaudent Monaſteria pietate nutrire & Epiſcopali cura erudire, quàm auſtera quadam dominatione, & propria voluntate grauare.*) Vt quietiùs & majori cum fructu Altiſſimo famulentur, fidelium omnium Parenti arctiùs atque immediatiùs coniungantur, in peius, non autem in melius, interueniret: totque ſancti Pontifices doctrinâ iuxta ac ſanctitate celeberrimi, tot inuictiſſimi Reges, tot Principes Illuſtriſſimi, qui abiectâ, ſeu Eccleſiaſticâ, ſeu ſæculari purpurâ, Regularium Exemptorum vitam ſunt profeſſi, hi non in melius, ſed in peius mutati dicendi eſſent.

Cæterùm cum S. Bernardus, & Petrus Bleſenſis in priuilegia inſurgunt; in ea

Digitized by Google

vtique, quæ ambitio, libertas, & diſciplinæ impatientia extorſit, non in ea quæ iuſtiſſimâ exigente ratione ſuprema Eccleſiæ Parentis authoritas conceſſit, inſurgunt.

Qui verò apprimè noſce voluerit, quæ Chriſtianæ virtutes, & quàm multa modeſtiæ exempla Exemptionibus inædificentur, & ſuperſtruantur, Is Carthuſianorum, Cluniacenſium, Præmonſtratenſium, & aliorum clauſtra circumeat, breui reperturus quantum ſit diſcriminis Launoio ſimiles inter, & Regulares exemptos.

CAPVT XXIII. AD XXII.

Et ad obſeruationem 1. Inquiſitionis Reſpondens.

Inquiſitoris obſeruationes & aſſerta ridicula.

HOc in Capite, quod Inquiſitionis vltimum eſt, rerum genera duo ſe Launoius obſeruaturum dicit: primum *antedictis lucem & confirmationem maiorem allaturum*;

alterum, ea *tractaturum, quæ in decurſu Inquiſitionis tractari commodè non potuerunt. His* autem *duobus breuem quandam cauſæ totius coniectionem vt cumulum acceſſuram.*

Id porro totum ſe præſtare putat obſeruationibus tredecim; quæ quidem (pace Lectorum dixerim) iis, quæ viginti & vno capitibus ridiculè effutiit, tanquam temeritatis, inſcitiæ, ac confuſionis *cumulus* & ſuperpondium accedunt. Ne verò ſint hæc: legatur ex integro prima hæc obſeruatio; ſtatim apparebit quàm hebes & emortua ſit ingenij illius acies, quæ tam exilibus, exiguè exiliterque conceptis adeò iucundè ac prolixè paſcitur.

Priuilegia, inquit, *& immunitatis tabulæ omnes, quæ in lib. 2. & 3. Biblioth. Præmonſtratenſis editæ ſunt, Ex armario Præmonſtratenſium Clericorum, non è tabulario Romanorum vel Laudunenſium Pontificum ſunt editæ.* Egregiam verò obſeruationem! Ex armario Præmonſtratenſium, *priuilegia & immunitatis noſtræ tabulæ ſunt editæ.* Vnde ergo eruendas atque edendas putabas? ex armariis Sinarum aut Iapponenſium? *Non ſunt editæ ex tabulario Romanorum Pontificum:* id à vero quàm ſit alienum, faſſus es ipſe nuper coram Burgeſio à te pag. 35. lauda-

to ad archetyporum intuitum palinodiam canens. *Non* etiam *editæ ſunt è tabulario Laudunenſium Pontificum* : ſcilicet hoc addendum erat obſeruationi tuę mentis acumen; quaſi de aduerſæ partis armario arma expectanda forent, ibique tutò poſſent aſſeruari, atque inde ad omnem congreſſus occaſionem ſemper & vbique præſto eſſe. Quanquam nec Epiſcoporum Laudunenſium tabularium vacuum ſit immunitatum noſtrarum tabulis, quemadmodum colligere eſt ex iis, quæ Inquiſitor paſſim ſcripſit: has edet Laudunenſis Epiſcopus cum voluerit.

Hoc autem *tribus de cauſis obſeruare ſe dicit* pag. 237. *1. vt id quod res eſt vnicuique conſtet. 2. quia in tanta & tam incredibili priuilegiorum multitudine vix poteſt accidere, quin plura ſint vel ſuppoſita vel ſubreptitia. 3.* pag. 242. *quia niſi priuilegia hæc grata acceptaque fuerint iis quorum intereſt, Epiſcopis videlicet, & cum primis Laudunenſi, firmitate omni carent.*

Sed (ad ſingula vt reſpondeam) quidnam putas (vir bone) ex hac tua obſeruatione vnicuique conſtare? an quia de Laudunenſium Epiſcoporum tabulario non ſunt editæ immunitatum noſtrarum tabulæ, aut quoniam in Romano Bullario deſi-

derantur, ideo minùs firmæ ac ſtabiles? at ipſe ſuſpicionem omnem à legentium animis incautus amouiſti, temerè effutitorum à te proſcriptor & damnator inſcius; nimirum, *alia ſunt priuilegia* (inquis) *quæ in Bullario comparent, & ſubreptionis accerſiri poſſunt; alia verò, quæ non comparent, nec tamen vitio vllo laborant*, de quorum poſteriorum genere Præmonſtratenſia eſſe peruidiſti, ad archetyporum exhibitionem mutus & elinguis. Vnde quod res eſt vnicuique conſtat, ſtolidè nimirum obſeruaſſe te ea, quæ indigna obſeruatione verba tua demonſtrant. *Alia verò, quæ ibi non comparent, nec tamen vitio vllo laborant.*

Deinde (inquis) *in tanta & tam incredibili priuilegiorum multitudine vix poteſt accidere, quin plura ſint vel ſuppoſita vel ſubreptitia.* Et in fine pag. 241. *in Curia ſunt falſarij tam arguti, vt illorum fraudes Innocentius non ſtatim deprehenderit. Cæteri quomodò deprehendent, etiamſi in ijs diſſuendis diu multumque laborauerint?* Stulto igitur labore te conſumptum prodis (ô Ephemeridum cœleſtium obſeruator magnifice) niſi fortè *non ſis ipſe ſicut cæteri hominum*, ſed is cui liberaliore manu conceſſum ſit, quod Eccleſiæ Capiti aſſeris denegatum. Sed ſi verum eſt quod ini-

tio pag. *242.* dicis, *vt quis falſariorum fraudes deprehendat, neceſſariò videre debet archetypa*; ſi verum item quod ais pag. 15. & alibi multoties, *archetypa nimirum te non vidiſſe*, concludet facilè qui hæc leget, quàm temerè & projectè in omnem veritatis impugnationem erumpas.

Sed quid ad rem ex Innocentij III. Epiſtolis hîc ſeu indiſcretè, ſeu malitiosè obtruſa tam multa? quæ quidem in Pręmonſtratenſes hoc tantùm poſſunt, quod ad nationis fideliſſimæ candorem ac ſinceritatem labefactandam, vicinorum artes calliditateſque notæ omnibus & execrabiles. Niſi fortè ingenuus obſeruator hoc enixè intenderet omnibus perſuaſum; nullum omnino malum in Eccleſia Dei perpetratum à quoquam, ſeu ſæculari ſeu religioſo, niſi à ſolis Præmonſtratenſibus: atque, ſi à preſbyteris, ſi à parochis, ſi à Capitulis, ſi ab Archidiaconis, Epiſcopis, aut Archiepiſcopis indulta extorta conqueratur Innocentius 3. id totum in Præmonſtratenſium Caput eſſe refundendũ; quidquid perſonæ, quidquid reſcripta, quidquid ſummi Pontifices; imò quidquid Obſeruator ipſe ſui oblitus in oppoſitum clamet. Nimirum pag. 75. Inquiſitionis

ſuæ dixit, *ad annum vſque 1272. Præmonſtratenſes Abbates & Canonicos, non, ſicut pleriq; S. Benedicti Monachi fecerant, ab Epiſcoporũ juriſdictione eximi poſtulaſſe : quinetiam enixè rogaſſe Pontifices, vt Epiſcopalis ſuper ſe iuriſdictionis vſum confirmarent.* Et pag. 230. *Contentione factà*, inquit, *comperientur paucæ Præmonſtratenſium immunitatum tabulæ, quæ à ſacris Canonibus diſſentiant, vna forſan Alexandri V.* Ergo fuſiùs hîc relatæ ex Epiſtolis Innocentij 3. de ſubreptis indultis conqu eſtiones ad Præmonſtratenſes ex ipſomet Obſeruatore nihil attinent : viderit ipſe num de alijs ? num de Laudunenſi Capitulo conqueratur Innocentius ?

Addo ex Obſeruatoris mente ſuppoſita vel ſubreptitia illa eſſe non poſſe, quæ ipſemet Inquiſitionis ſuæ cap.3. pag. 45. cap. 5. pag. 55. 56. 57. cap. 6. pag. 67. & cap. 7. pag. 80. aduerſùs Præmonſtratenſes profert, quibuſque eorum omnimodam ab Epiſcopali juriſdictione libertatem quaſi proprio ipſorum ariete concutere, imò euertere ſe putat : Et hæc ipſa ſunt, quibus ex eodem Innocentio libertatem noſtram tuemur ac protegimus ; quæ, ſi quid aduerſùm nos valere poſſint, vtique & pro nobis.

Denique ſuppoſita vel ſubreptitia non ſunt indulta illa, à quibus ſpecies omnes falſitatis ex eodem Innocentio hîc pag. 241. expreſſæ longiſſimè abſunt: abeſſe autem à diplomatibus exemptionis noſtræ tum Eccleſiaſtica, tum Ciuilia Tribunalia millies proteſtata ſunt. Hoc Pontifices Maximi; hoc Oecumenicum Baſileenſe Concilium; hoc Lugdunenſis, Rhemenſis, Rothomagenſis, Pariſienſis Archiepiſcopi; hoc Epiſcopi Laudunenſis, Sueſſionenſis, Ambianenſis, Altiſſiodorenſis, Claromontenſis, Trecorenſis, Sagienſis Andegauenſis, Margacenſis, vt vidimus; hoc à ſummis Pontificibus & Concilio Baſileenſi deputati Iudices; hoc Reges Chriſtianiſſimi, & ij Præfecti ac Iudices quibus exhibita fuere: qui quidem omnes indulta Præmonſtratenſi Ordini conceſſa, *non abraſa, non cancellata, ſed ſana & integra; more Romanæ Curiæ Bullata, omni prorſus vitio ac ſuſpicione carentia*, palam & publicè ſunt proteſtati.

Poſtremò (inquit pag. 242.) *niſi priuilegia hæc grata acceptaque fuerint ijs, quorum intereſt, Epiſcopis videlicet, & cumprimis Laudunenſi, firmitate omni carent.*

O doctrinam ſingularem! ô Theologi

Pariſienſis laurum emortuam! ſcilicet Archiepiſcopalibus inſignibus priuabitur, æternùmque Metropolitano Senonenſi ſubjicietur Pariſienſis Archiepiſcopus, quia grata acceptaque Senonenſi, cuius intereſt, hæc nunquam fuit Pariſienſis exemptio. Romanæ Sedi ſubducetur Aniſienſis Epiſcopus, atque iterum Metropolitano ſubjicietur, quoniam à ſua juriſdictione libertatem, immediatamque eius ab Apoſtolica Sede dependentiam nunquam probauit Bituricenſis Archiepiſcopus. Honoribus ſuis in poſterum prærogatiuaque carebunt Briuatenſis, ſancti Martini Turonenſis, & aliæ ſexcentæ Eccleſiæ, quoniam earum immunitates ferre non ſuſtinent diœceſani Epiſcopi. Credite poſteri.

Cæterùm hîc rationes ex Morali Philoſophia, confirmationes tam ex Iure Canonico quàm Ciuili, ſupremarum Curiarum Senatuſconſulta, vetera & recentiora, tũ in Archiepiſcopi Pariſienſis aduerſùs Senonenſem, tum in Pariſienſis Sacelli Regii, aliorumque fauorem edita non moror; quippe res clarior ac notior, quàm vt fuſiori probatione indigeat.

Duo tamen ſunt aduſtæ mentis indicia,

Digitized by Google

quæ hîc diſſimulare non poſſum: alterum, Iuonis Carnotenſis textus præpoſterè & aduersùs Obſeruatorem incautum laudatus; hic enim non docet, *Rhemenſis Eccleſiæ priuilegia* ideo *apud ſe nulla eſſe*, quòd hæc grata acceptaque non habuerit, ſed *quòd nec in Generalibus Conciliis ipſis audientibus ſint recitata, nec ad Eccleſias ipſorum Epiſtolari maturitate directa, & vt manifeſtiùs dicat, nulla ipſis familiari vel publica relatione propalata.* Quod quantum differat à temeraria & ſeditioſa Obſeruatoris aſſertione, nemo non videt. Alterum eſt, à ſe dictorum ſolita & familiaris inconſtantia; quippe, ſi quid ad Obſeruatoris propoſitionem aſtruendam valuiſſet Iuonis teſtimonium, id totum verbis immediatè ſequentibus initio pag. 243. infringit & eneruat: *Et quamuis priuilegia*, inquit, *quæ eſſent vel ſuppoſita vel ſubreptitia palam recitata fuiſſent in Conciliis, non idcirco tamen ſuppoſitionis aut ſubreptionis vitium tolleretur.* Sic deſtruens, & ædificans, ſic verba voceſque, aut vt plurimùm apud incautos dubia vendens ac iurgia, præterea nihil.

Quæ de Anſæ Concilio pag.357. addenda hic monet, eum tam leuis armaturæ, quàm Capitis ambigui militem oſtendunt,

Digitized by Google

qui de fabuloſis, iiſque, vt ſolet, non ſine ſuffoſſione relatis, ſeditioſis, atque damnatis, doctrinæ peregrinæ quid authoritatis putat accedere poſſe.

Fabuloſum dico hoc Anſæ Concilium, cuius ne veſtigium quidem extat in ampliſſimis Conciliorum omnium voluminibus; quod & amplius poſitiuè conſtabit ex dicendis.

Addidi, nec ſine ſuffoſſione relatum: nimirum ab actu, quem ex Iacobo Seuertio exſcripſiſſe ſe dicit Obſeruator, hæc verba exſecuit, *En duodecim Patres*, quæ in eodem Seuertio habentur immediatè poſt iſta; *Et Vrardus Epiſcopus Maurianenſis*: quæ quidem numerans reflexio, & reflectens affectataque numeratio, quàm nullius fidei ſit Matiſconenſe fragmentum; quámque parum ſincerus, imò quàm ſuſpectus eſſe debeat fabricatoris affectus, liquidò demonſtrat. Quod certum eſt Obſeruatorem peruidiſſe, ac propterea hæc verba inuerecundè expunxiſſe.

Seditioſum dixi Matiſconenſe fragmentum, in quo, dum ſic arithmeticè numerati duodecim Patres ponuntur multa de Eccleſiaſticis cauſis & de communi populi vtilitate tractaſſe (quorum Archetypa &

Digitized by Google

originalia, ſi ſuperis placeat, ex tranſmundanis ſpatiis breui proferentur in lucem) vnicum, illudque inſigne poſteritati commendatur non parendi Sedi Apoſtolicæ, imò repugnandi exemplum: Et hoc ab Obſeruatore, Concilium, ſeu acta Concilij vocatur; tantò certè ab Oecumenicorum, legitimorumque cùm Prouincialium, tùm Nationalium Conciliorum actis diuerſa, quantò in iis Apoſtolicæ Sedis authoritas minùs illæſa.

Damnata dixi huius Concilij acta; (ſi fortè fabuloſum non eſſet) facto nimirum Petri Ignei Albanenſis Epiſcopi ac ſummi Pontificis Gregorij VII. Legati, qui in Conuentu Prælatorum à ſe congregato, conquerente Warmondo Viennenſi Archiepiſcopo aduersùs Landricum Matiſconenſem Epiſcopum Clerumque, B. Hugone Cluniacenſi Abbate priuilegium palam exhibente ac legente, Matiſconenſem pertinaciter & iniquè repugnantem ab Epiſcopatus & Sacerdotij functionibus ſuſpendit; Clericos Laïcoſque, qui in Viennenſem propter Ordines in Cluniacenſi Monaſterio ab ipſo collatos manus iniecerant, ab ingreſſu Eccleſiæ ac conſortio Corporis & Sanguinis Domini ſeparauit:

Cluniacenſium

Digitized by Google

Cluniacenſium, denique Eccleſias & perſonas à Gebuino Lugdunenſi Archiepiſcopo præpoſterè & iniuſtè interdictas atque excommunicatas, monito Archiepiſcopo vt faceret, & per ſe facere recuſante, ab Interdicto & excommunicatione Apoſtolica authoritate liberauit, reſque Cluniacenſium Lugdunenſis violentiâ diſſipatas in integrum reſtituit.

Porro ordines à Viennenſi Archiepiſcopo iterum in Monaſterio Cluniacenſi anno circiter 1063. inuito Matiſconenſi Epiſcopo collati, oſtendunt ea eſſe fictitia, quæ de Burchardo Viennenſi dicuntur in fine Matiſconenſis fragmenti, *vnde prædictus Archiepiſcopus ratione conuinctus, petens veniam, &c.* quî enim ſtare hæc poſſunt cum hac à Viennenſi annis ſequentibus iteratò facta in eodem Monaſterio Ordinum collatione?

Niſi fortè idem fuerit Warmondi Viennenſis de hoc Anſæ Concilio iudicium, quod fuit Iuonis Carnotenſis de ſimili Anſæ Concilio, ad quod vocatus ire noluit, & de quo ſuo & Comprouincialium Epiſcoporum nomine ad Ioannem Lugdunenſem Archiep. conuocantem ita ſcribit Epiſtola 236. *Iure Primatus veſtri inui-*

Digitized by Google

taſtis nos ad Concilium apud Anſam celebrandum, in quo tractare diſpoſuiſtis de fide & Inueſtituris Laïcorum: ad quod venire minimè contemnimus, ſed terminos quos poſuerunt Patres noſtri, terminos antiquos tranſgredi formidamus. Nuſquam enim reuerenda Patrum ſanxit authoritas, nuſquam hoc ſeruare conſueuit antiquitas, vt primæ Sedis Epiſcopus Epiſcopos extra Prouinciam propriam poſitos inuitaret ad Concilium, niſi hoc aut Apoſtolica Sedes imperaret, aut vna de Prouincialibus Eccleſiis pro cauſis, quas intra Prouinciam terminare non poterat, primæ Sedis audientiam appellaret. Quod non de corde noſtro prophetamus, ſed Apoſtolica authoritate muniti, irrefragabilibuſque ſententiis approbamus, &c. his authoritatibus muniti nolumus Eccleſiis veſtris inauditam nouitatem inducere, vel iura earum antiquitùs inſtituta permutare. Atque hæc ad Anſæ Concilium.

CAPVT XXIV.

Ad Obſeruationem 2. Inquiſitionis reſpondens.

Blaſphemia in Apoſtolicam Sedem, &c.

DEBEBATVR adeo inſigni operi truculenta hæc obſeruatio, vt conſtaret Launoici pectoris vlcus purulentum; blaſphemięque in Apoſtolicam Sedem paſſim iactatæ, non temerè vel inconſultò, ſed deliberatè & ex animo prodiiſſe monſtrarentur. *Complanata ſunt* (inquit pag. 243.) *omnia quæ veteri diſciplinæ obſtarent, quæ Epiſcopalem correctionem à Præmonſtrat. Clericis prohiberent, quæ tandem illorum humeris impoſitum ſatanæ iugum diutius retinerent.*

Blaſphemia porro vt pateat, ſeparanda ſunt ea, quæ nihil omnino commune habent; priuilegia nimirum duo, alterum Clementis V. Alex. V. alterum, de quibus tamen hic Obſeruator in communi loqui-

tur, quâ ſinceritate, quâve intentione, iudicabit Lector oculatus. Notandumque in Clementis V. priuilegio nullum prorsùs imponi iugum, cum totum illud de ſolis Pontificiis inſignibus Apoſtolicâ authoritate, motu proprio, Præmonſtratenſi Abbati conceſſis, conceptum ſit.

Quare ſatanæ iugum Præmonſtratenſium humeris impoſitum, ex Alex. V. priuilegio colligendum eſt. Colligi verò ex eo omnino non poteſt, niſi ex verbis immediatam perſonarum, locorumque Præmonſtratenſium ſoli Apoſtolicæ Sedi ſubiectionem ferentibus, quemadmodum attentiùs legenti & inſpicienti conſtabit. Hæc enim duo duntaxat in Alexandri priuilegio continentur; alterum, Præmonſtratenſium ab omni ſuperioritate, dominio, & iuriſdictione Epiſcopali immunitas & exemptio; alterum, immediata ſoli Sedi Apoſtolicæ ſubiectio. Iugum igitur cum ab exemptione, cui priuatiuè opponitur, ſumi non queat, à ſubiectione dici neceſſe eſt: ſi autem ab immediata Sedi Apoſtolicæ ſubiectione, ſatanæ iugum dicatur humeris impoſitum, Sedes Apoſtolica (mens horret dicere) Launoicâ modeſtiâ ſatanas eſt.

Digitized by Google

Hæc porro à ſe dicta aſſerit religioſus Obſeruator hîc pag. 244. *Vt id præſtaret, quod Sedi Apoſtolicæ non poteſt non eſſe gratiſſimum.* Scilicet credendum eſt veniſſe tempora, cum trunculento Sacerdoti licebit impunè Chriſto Domini in faciem ſpuere, authoritatem authoritati, Deo Deum impingere, deſolationis abominationem in ſancta intrudere, & (quod mirum) ſic abiiſſe in ſtipitem hominem illum, (ſi forte homo appellandus ſit,) vt obſequium præſtare ſe Deo, Pontifici, ac Religioni rudere audeat. O ſuperi, nefas prohibete, blaſphemi linguam compeſcite, audacis ac proterui ſcelus inultum ne relinquite, ſi quo modo ſalutari caſtigatione doctus, reſipiſcere queat à diaboli laqueis, ac ſaluus fieri.

Cæterùm quàm vana ſit Obſeruatoris hîc pag. 244. & 245. Epiſtolarum Innocentij 3. & Petri Celenenſis Epiſcopi fragmenta, ſenſu vacua, aduerſùs Clement. V. & Alex. V. priuilegia referentis, citatio; vel ex eo manifeſtum eſt, quòd Innocentius III. centum & amplius annis ante Clementis V. ducentis autem & amplius ante Alex. ſimiliter V. tempora loquens, ſeu ſcribens, de horum Pontificum priui-

Digitized by Google

legijs, aut etiam de Præmonſtratenſibus (quos eo tempore nullas immunitates, priuilegia nulla habuiſſe, ſed Epiſcopali juriſdictioni penitus totoſque ſubditos fuiſſe, audenter aſſerit Obſeruator) intelligi non poſſit: ſed de preſbyteris quibuſdam, Clericis &c. conqueratur, quòd ij Apoſtolicæ Sedi priuilegia ſurripuiſſent.

Petrus verò Ceſenenſis, non Clementis, non Alexandri V. ſed Alexandri VI. tempore aſſerit fabricata fuiſſe vltra quingenta breuia Apoſtolica, idque à fine anni primi pontificatus Sanctitatis ſuæ, vſq; ad menſem Auguſti proximè præteritum, cum ſcriberet (centum circiter annis poſt Alexandri V. obitum) Ex quibus quidem ſi liceret argumentari, & ex eorum falſitate, falſi vel ſuſpecti notam omnibus omnino ſeu anteriorum, ſeu ſuccedentium Pontificum indultis inurere, nec ipſæ Laudunenſis Epiſcopi, vel inſignis Eccleſiæ Capituli prærogatiuæ & iura ſtarent. Diſcat igitur in eiuſmodi materiis, argumentum ab exemplo vel à ſimili omnino non valere.

Quanquam & ex fragmentis ipſis, vt hîc jacent, liceat in Obſeruatorem inſur-

gere, eumque propriis armis ſuffocare. Ex primo quidem vbi dicitur, quòd *à Chriſto, in Beatorum Apoſtolorum perſona, Romana Eccleſia authoritatem ſuper vniuerſas Eccleſias acceperit; & per Bullas totius negotia Chriſtianitatis agantur.* Quæ ſi vera ſunt, quomodo *Bullæ eiuſmodi firmitate omni carẽt, ſi gratæ acceptæque non ſint Epiſcopis, & præſertim Laudunenſi?* vti ſcribit pag. 242. niſi fortè non ſit Eccleſia Laudunenſis de vniuerſis, ſuper quas authoritatem accepit Romana Eccleſia.

Ex ſecundo verò conſtat, *pro litteris de quibus dubium eſſe poſſet, an à Sede Apoſtolica emanaſſent, ad regeſtum de conſuetudine recurri:* noſtrę porro Alexandri V. certiſſimæ & indubitatæ, ne cuipiam Launoio ſimili dubiæ eſſe poſſent, ex Alexandri V. regeſto tum à Ioanne 23. tum à Concilio Baſileenſi, tum ab Eugenio 4. non ſemel erutæ ſunt, vt oſtendi ſuo loco.

Digitized by Google

CAPVT XXV.

Ad Obſeruationem 3. Inquiſitionis reſpondens.

Injuriæ in quatuordecim Romanos Pontifices &c.

BREVITER hîc Obſeruatorem expedio, cuius mihi cœcitas & hebetudo arma ſubminiſtrant. Scilicet *Canonica non eſt illa clauſula (Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam venire tentauerit, ſecundò tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendauerit, poteſtatis honoriſque ſui careat dignitate)* quâ Canonum Conditores ac Domini ſuis in Canonibus efformandis trecentorum & ampliùs annorum ſpatio conſtantiſſimè atque vnanimiter vſi ſunt. *Moribus Eccleſiæ Romanæ non conuenit*, quæ ab Eccleſiæ & Reipublicę Romanæ Principibus, ſupremiſque Legiſlatoribus inter leges condendas promulgandaſque toties ac tamdiu eſt propoſita. O igitur, ſi Lau-

noio credimus, Eccleſiæ Romanæ Rectores inſipientes ac ſtultos! ô infœlicem tantâ annorum intercapedine ſub eiuſmodi Iudicibus Romanam Eccleſiam! ô lugendum Eccleſiaſticæ Reipublicæ ſtatum, in quo nec vultum ſui pecoris Paſtores agnoſcebant, nec populi ſibi diuinâ diſpenſatione commiſſi conditionem moreſque curabant; deſpoticè dominantes in Clero, crudeliter ac tyrannicè leges imponentes, minaces, elati, iniuſti. *Hæc eſt clauſula* (inquit Obſeruator hîc in fine pag. 247.) *quæ nec regni noſtri, nec Romanæ Eccleſiæ moribus conuenit.* Quis hæc omnia, quis cenſuram hanc æquanimiter ferat?

CAPVT XXVI.

Ad Obſeruationem 4. Inquiſitionis reſpondens.

Inquiſitoris oſtenditur ingenua fatuitas, &c.

OBSERVATIONIS huiuſce confutationem ad R. P. Quatremarium remitto, qui capitibus 13. 14. 15. & 16. libri ſui cui titulus eſt *Priuilegium ſancti Medardi Sueſſionenſis propugnatum*, totus eſt in aſſignando formulæ iſtius (*Epiſcopi etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati*) genuino ſenſu; pluribuſque diſertè juxta ac doctè præcipitem Inquiſitoris hallucinationem, inſcitiam, ac cœcitatem inſequitur, atque à vero circa formulæ ſenſum quantùm Launoius aberret, iucundè admodum claréq; demonſtrat.

Cui 3. parte Aſſertionis Inquiſit. in Monaſterij ſancti Medardi Sueſſionenſis priuilegium Cap. 13. Inquiſitor hæc reponit: *Ego duobus in libris conatus eram formulam hanc cum antiqua Romanæ Eccleſiæ doctrina &*

inſtitutione componere, *vt ſaltem hac in parte occurrerem querelis illorum*, *qui dicunt Romanã Eccleſiam omnia in Concilio ſuis aptaſſe commodis*, *ob idque diſciplinam veterem mutaſſe. Superbus frater* (hoc nomine argutè vt putat adinuento Quatremarium appellat) *conſilium meum iniquo animo ſuſtinet.* Vbi vides ingenuam fatuitatem cum arrogantia coniunctam ; ſcilicet, ni Launoius iſta ſcripſiſſet, actum erat de Tridentini Concilij authoritate, Romanæ Eccleſiæ integritas corruerat, ſuis conuincebatur omnia aptaſſe commodis Eccleſia Chriſti ſponſa, etiam *cum Rex* ac luminum Parens *eſſet in accubitu ſuo.* Certè hæc qui cogitauit, non mirum ſi in aliis tam frequenter errauerit.

Initio igitur obſeruationis hæc ſcribit: *Greg. 13. in Bulla*, *ſeu conſtitutione*, *quà Præmonſtratenſium immunitates & priuilegia confirmat*, *ea Tridentinæ Synodi decretis attemperat*, *ſi talia ſint quæ attemperari debeant. Excepto autem ſuppoſito aut furtiuo Alexandri V. priuilegio*, *quæ ſuperſunt priuilegia* decertis huiuſmodi attemperari non debent, vtpotè quæ *Epiſcopalem iuriſdictionem & authoritatem admittunt.*

I. Igitur obſeruo, rideoque titubantem

Obſeruatoris animum, qui verbo hîc deſtruit, quæ tam operosè ac tam multis ex Innocentio III. collectis aſtruere niſus fuerat: nimirum ſi, ſublato Alex. V. priuilegio, quæ ſuperſunt priuilegia Epiſcopalem iuriſdictionem & authoritatem admittant, ac propterea nihil in ſe contineant, quod Trid. Synodi decretis attemperari debeat; inutiliter ac vanè Innocentium III. aduerſùs extorquentes, ſurripientes, ſupponentes Apoſtolica priuilegia tam acriter inſurgentem & detonantem inducit: niſi fortè in Decanum & Canonicos Laudunenſes inuehatur, quorum priuilegia viderit Obſeruator an Epiſcopalem iuriſdictionem & authoritatem admittant?

II. A vero quàm ſit alienum, *priuilegia quæ ſuperſunt Epiſcopalem iuriſdictionem & authoritatem admittere*, patet ex priuilegij & immunitatis nomine, patet ex immunitatis ab Obſeruatore tradita definitione, patet ex ipſa priuilegiorum lectione & inſpectione.

III. Cùm innuit, eſſe talia priuilegia quæ ſuperſunt, vt Tridentini decretis attemperari non debeant: aut ideo cenſet attemperari non debere, quia ſunt

eiuſmodi decretis penitus conformia; aut ideo, quia licet iis minimè conformia ſint, quoniam tamen à ſupremâ totius Eccleſiæ authoritate proficiſcuntur, non decet ea per vel propter Concilij decreta coarctari, iiſque attemperari. Poſterius non admittet Obſeruator, qui pag. 189. Tridentinam Synodum Alexandro maiorem, hoc eſt Concilium ſupra Pontificem, iam velut è tripode definiuit. Reſtat igitur vt attemperari priuilegia non debeant, quoniam Concilij decretis ſunt omnino conformia: vnde ſic hominem inſequor. Aut quia ſunt conformia decretis Concilij priuilegia admittentibus; aut quia conformia decretis ius commune proferentibus. Poſterius dici omnino non poteſt, quoniam priuilegium iam priuilegium non eſſet: *neque enim* (ait Gloſſa Iuonis in Cauſam 25. q. 1.) *priuilegia aliquibus concederentur, ſi præter generalem legem nulli aliquid ſpeciale indulgeretur.* Reſtat igitur vt ideo Tridentinæ Synodi decretis attemperari non debeant, quoniam ab eiuſmodi decretis circa priuilegiatos editis nihil continent alieni. Cùm itaque & Alex. V. priuilegium à decretis iſtis nulla ratione ſit alienum, nec illud Synodi decretis attemperari debet.

Digitized by Google

Quæ de Tridentinis Obſeruator adducit pag.251. nec ſeſſionem, nec ſeſſionis caput, locumve vlla ratione aſſignans, *Epiſcopos* nimirùm *etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatos Exempta Monaſteria viſitaturos.* Qua quidem ex dictione, *Etiam*, hunc eſſe germanum propoſitionis ſenſum, hanc veram Eccleſiæ Romanæ doctrinam aſſerit, *&* *ſuà & Sedis Apoſtolicæ authoritate Epiſcopos id præſtare poſſe.* Hæc, inquam, eâ ſinceritate & euidentiâ propono, qua temeritate & inſcitia Obſeruator obtruſit.

Nimirum dictio *Etiam* eo loci reſtrictiua eſt, aſſertiua, præceptiua & ad emphaſim, adeout non niſi ius Epiſcopis ab Apoſtolica Sede delegatum afficiat & denotet; nec aliam ab Apoſtolica authoritatem aut iuriſdictionem inferat implicetve; quo ferè modo particulæ iſtæ *Vel*, ac *Et*, licet reſpectiuæ atque implicatiuæ videantur, abſolutè nihilominus, aſſertivè, ad elegantiam & energiam vſurpantur, vt cũ dicimus, *nonſi*, Vel, *Iupiter ipſe ſpondeat, hoc ſperem, &c. hoc præcipe,* Et, *authoritate regià, &c. Epiſcopi viſitent exempta Monaſteria* Etiam *tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati*, id eſt, quod ſuâ non poſſunt propter exemptionem, Apoſtolicâ ſibi delegatâ faciant: vti

quod Præco non poteſt authoritate propriâ, Regiâ præcipit.

Atque hunc eſſe genuinum propoſitionis ſenſum, hanc veram Eccleſiæ Romanæ doctrinam, vel ex hoc euincitur, quòd Monaſteria non poſſint eſſe ſimul exempta, & Ordinariæ Epiſcoporũ iuriſdictioni ſubiecta: cum igitur Conciliũ exempta vocet, exemptionem cõfirmet, exemptos nominatim exprimat, vti cõſtat ex his Cõcilij verbis ſeſſ. 25. cap. 11. *Excepto Monaſterio Cluniacenſi cum ſuis limitibus, & exceptis etiam iis Monaſteriis, ſeu locis, in quibus Abbates Generales, &c.* Et ex eiuſdem ſeſſ. cap. 20. iam relato, euidens eſt in eiuſmodi Monaſteria, & loca authoritate ſua Epiſcopos nihil omnino poſſe efficere. Ita docent Cardinalium Concilij interpretum declarationes an. 1592. ita irrefragabilis omnique exceptione major legum interpres legitima conſuetudo, quâ conſtat, non tantùm Regulares Exemptos, ſed & Capitula Cathedralium Eccleſiarum, illorumque perſonas, (de quibus tamen dicitur ſeſſ. 6. cap. 4. de refor. quòd à ſuis Epiſcopis quoties opus fuerit viſitabuntur, corrigentur, & emendabuntur, *Etiam authoritate Apoſtolicâ*) ordinariâ diœceſanorum authoritate

nec viſitari, nec corrigi; quia dictio *Etiam* inibi ſimiliter appoſita reſtringitur ad Apoſtolicam authoritatem delegatam, atque in iis duntaxat rerum circunſtantiis ibidem & alibi expreſſis, nec ordinariam iuriſdictionem infert aut implicat.

Quæ vero de Zozimi Pontificis Epiſtola decretali ad Heſychium Salonitanum, & de Bonifacij I. expiſtola quoque decretali ad Hilarium Narbonenſem profert, ſunt extra rem, vtpotè non de exemptis, ſed de iis qui Ordinariæ illorum Epiſcoporum iuriſdictioni ſuberant, euidentiſſimè tractantia; quemadmodum & ea, quæ eiuſdem 3. partis aſſertionis Inquiſit. in priuilegium Monaſterij S. Medardi Sueſſionenſis cap. 13. hiſce duobus adiunxit ex Stephano IX. & Nicolao II. vt patet inſpicienti.

Extra rem ſimiliter quæ de Sforza Pallauicino pag. 254. & 255. proſequitur. Quid enim nouitatem ſenſus redolet, quidve antiquioribus Conciliis aduerſatur, & in quo ſancita à Christo Domino & ſacris Canonibus authoritas imminuitur, ſi priuilegia & immunitates à Chriſti Vicario Primatibus, Epiſcopis, Monaſteriis, Capitulis, concedantur? ſi priuilegiati eiuſ-

modi,

modi, non Ordinariâ, ſed delegatâ Pontificis authoritate viſitentur? nouiſſimus certè ſit ille neceſſe eſt, qui hæc noua putat; qui *Conciliis aduerſari*, Conciliorum ſit ipſe breuiator & irriſor; qui *ſancitam à Christo ſacriſque Canonibus authoritatem iis imminui*, hic Petri Primatum vertit, ſacrorum Canonum virtutem & energiam reſecat, amputat Eccleſiæ Caput.

Ex his nihilominùs ita diſtortè & inſcitè expreſſis, regulam hanc de ſolito ſupercilio prodeuntem tradit in fine pag. 255. *Si quis igitur errare nolens, memoratam Concilij Trid. clauſulam probè intelligere voluerit, eam non ſeorſim à Zozimi & Bonifacij decretis, & allato exemplo, ſed cum his omnibus coniunctim intelligat neceſſe eſt.* Egregiè ſanè (vir modeſte & ad ſobrietatem ſapiens:) ita, ſi quis errare nolens cœlum probè voluerit intueri, id non ſeorſim ab abyſſo magna, ſed cum ea coniunctim intueatur. Si probè intelligere voluerit quomodo Præco regiâ authoritate queat præcipere; id non ſeorſim à propria Præconis authoritate, ſed cum ea coniunctim intelligat. Si reſcire voluerit quomodo Epiſcopi *tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati* exempta loca viſitare poſſint, id non ſeorſim ab exemplo baculi

Digitized by Google

in angulo repoſiti, ſed cum eo coniunctim ſeriò cogitet, cogitet de Legatis Concilij Trid. qui non ſunt paſſi (vti refert Sforza) vt Trid. Synodus diceretur *Vniuerſalem Eccleſiam repræſentans.* Quàm arctè coniuncta & germanè confœderata ſunt hæc, vir bone!

Sed dignum patellâ ſpectemus operculum; reſolutionem videlicet moralem ex limpidis hiſce fontibus erutam: *Quamobrem* (ait Obſeruator pag. 256.) *Epiſcopi non dubitent ſecundùm Concilij decreta & ſuâ & Romani Pontificis authoritate viſitare Monaſteria, eoſque qui exempti vocantur, ſi vitioſi ſint, corrigere, & ad frugem bonam reuocare.* Doctrinam ſingularem tibi gratulabuntur Illuſtriſſimi Epiſcopi, (vir modeſte) quodque tot Eccleſiæ Dei luminibus à Tridentinæ Synodi tempore fuit abſconditum, tibi verò pro ſingulari qua polles gratia Dei iudicio reſeruatum, æternùm patriæ tuæ acceptum referent; atque in animi grati teſtimonium tibi, ne de natiua ſoli calliditate dubitetur in poſterùm, litteras ſinceritatis, & confidentiæ deſtinabunt. Tanti fuerit apud ipſos dubitationem iſtam ſic decretali ſententiâ tuliſſe.

Obſeruabit autem hîc prudens Lector

Obſeruatoris ſaltum, certè non ad numeros : qui cum Canonicos inſequitur, de Monachis agit ; cum inuehitur in Præmonſtratenſes, de Benedictinis queritur: haud dubiè quia de Præmonſtratenſibus verè dicere non potuit (quamquam nec de beati Benedicti ſequacibus dicere potuerit niſi putidè imponens) quòd *ad puram & cæleſtem ſancti Auguſtini regulam, in qua nulla eſt exemptio, reducerentur laborioſius, quam aquæ rapidi cuiuſdam fluuij versùs fontem & originem reuoluerentur.*

CAPVT XXVII.

Ad Obſeruationem 5. Inquiſitionis reſpondens.

Pugnantia loquitur Inquiſitor, &c.

HIc tandem ex ore tuo, factoque iudicaberis, (Obſeruator incaute) nunquid enim tu ipſe es, qui toto hoc libro, & præſertim Cap. 14. in priuilegiatos, priuilegiaque & immunitates concedentes tam acriter es

debacchatus ? qui priuilegia *bonis moribus aduerſari , iſſque remiſſis habenis aditum ad contemptum virtutis, ad otium, ad negligentiam, ad vitiorum impunitatem patefieri ? Iniuſta eſſe priuilegia , impia vota & preces , quibus ab Epiſcopali iuriſdictione liberari poſtulatur ? Immunitates ab Epiſcoporum ſubiectione , nec ad religionem reſpicere , nec ad Eccleſiaſticam honeſtatem pertinere ? priuilegiis arceri cuſtodum vigilantiam, virtutum conſeruatricem & vitiorum emendatricem remoueri Epiſcoporum obedientiam ? Ad deſerenda virtutum ſtudia viam aperiri faciliorem. A filiorum tutela inſtitutos legibus homines prohiberi. Hanc non eſſe paternam beneuolentiam, ſed potius nouercale odium?* Nunquid (inquam) tu es ipſe, qui hæc & his truculentiora congeſſiſti ? quomodo igitur hîc pag. 260. tam ſincerè, tam quietè exemptos admittis ? quomodo priuilegia fateris conceſſa , *quibus bona , perſonæ, perſonarum actiones ab Epiſcopali iuriſdictione immunes omnino ſunt ?* quomodo tam candidè aſſeris *à ſacra Cardinalium Congregatione rectè perſpectum , neque Epiſcoporum ingreſſu in Monaſteriorum Eccleſias , neque Pontificalium munerum exercitio , neque ſacramentorum adminiſtratione lædi Regularium immunitatem, quæ in bonis, in perſonis , & perſonarum actio-*

nibus conſiſtit? Sint actus Ordinis (inquis) *ſint actus iuriſdictionis, nihil intereſt, dummodo ad huiuſmodi exemptorum bona, perſonas, & perſonarum actiones nuſquam pertineant.* Tuo igitur iudicio immunitates iſtæ, quibus bona, perſonæ, perſonarum actiones ab Epiſcoporum ſubiectione liberantur, nunc *iniuſtæ non ſunt, impiæ, virtuti, vtilitati, honeſtati, religioni aduerſæ, ac nouercale odium inuehentes*: vel ſi tales ſint, quid tantopere proſpicitur ne lædantur?

Sed nunquid etiam tu es ipſe qui p. 160. priuilegium *in duobus duntaxat eſſe poſſe, in bonis videlicet & perſonis*, aſſeruiſti? hîc autem in tribus tui immemor aſſeueras?

Sed ad rem venio, in priuilegiorum Præmonſt. vtpotè ex hucuſque dictis notiorum aſſertionem nihil vltra proferens. Decretumque Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium ab Aſcanio relatum cum Obſeruatore examino, ac diſcutio; aduertoque mandari, *vt de cætero Epiſcopi, vbi tam ex conſuetudine & priuilegio, quàm ex ſacrorum Canonum conſtitutionibus, & Romani Pontificis præſcripto, aut alio iure Pontificalia exercere, &c. intereſſe poſſunt, ipſi Regulares quoties opus fuerit, teneantur ibi & debeant, &c. Baldachinum attollere.* At verò

Digitized by Google

Laudunenſis Epiſcopus, nec *ex conſuetudine* (quippe conſuetudo & poſſeſſio omni hominum memoriâ vetuſtior oppoſitum clamat) *nec ex priuilegio* (imò priuilegium, quòd bonorum, perſonarum, actionum, locorum omnimodam ac pleniſſimam exemptionem ſonat, eorumque immediatam ſoli Sedi Apoſtolicæ ſubiectionem inducit, ſtat pro Sammartinenſi Abbate, ſicut oſtendimus) *nec ex ſacrorum Canonum conſtitutionibus* (cuiuſmodi nullas profert Obſeruator, & quibus priuilegio ſuo Apoſtolica authoritas, poſteriores conſtitutiones, poſſeſſio omni ex parte legitima, præſcriptionemque pluſquam canonicam inuehens, derogaſſent) *nec denique ex Romani Pontificis præſcripto, aliove iure Pontificalia in Sammartinenſi Eccleſia poteſt exercere*: vnde conſtat ſacræ Congregationis decretum, in alios exemptos ſi quid valeat, in Sammartinenſes omnino nihil valere; qui quidem *priuilegium mererentur amittere*, vt ſententiâ Innoc. III. cũ Obſeruatore vtar, *ſi permiſſâ ſibi abuterentur poteſtate*; abuterentur autem, ſi quæ ſibi ſeruanda commiſſa ſunt velut territorij Petri, ac Romanæ ſolius Eccleſiæ ditionis, ea Laudunenſi vel cuiuis Epiſcopo conculcanda ſubiicerent.

Digitized by Google

Qui hoc non capit, de Petri principatu ac poteſtate nihil ſapit.

CAPVT XXVIII.

Ad Obſeruationem 6. Inquiſitionis reſpondens.

Inquiſitor Præmonſtratententſibus imponit, Vitilitigator ipſe.

HÆc Obſeruatio duo Præmonſtratenſibus imponit; alterum eos tegere ſe ac tueri communicatione priuilegiorum cum aliis religioſis Ordinibus; alterum Gregorij Epiſtolis à Gratiano relatis ſe ſuaque priuilegia defendere, ſeu ea potiùs inde emendicare. Non ita ſanè (vitilitigator impudenter affingens.) Aliorum quidem Ordinum libertates noſtri agnoſcunt ac reuerentur; eis ſua gratulantur priuilegia: ſibi verò paria, aut etiam maiora Apoſtolicâ liberalitate conceſſa, gaudent: non aſcititiis, non aliunde emendicatis aut fa-

bricatis, ſed propriis duntaxat armis aduersùs impugnatores libertatis ſuæ dudùm dimicantes, Apoſtolico etiam iudicio dudùm triumphantes.

Porro quàm vetera ſint Præmonſtratenſium priuilegia, quàm à nullis aliorum Ordinum priuilegiis dependentia, quàm grata Romanis Pontificibus ſemper fuerint, quàm probata, quàm chara, conſtat tum ex indultis aliiſque documentis paſſim hoc in opere; tum ex Innocentii 4. ſuperiùs relato diplomate, quo Præmonſtratenſibus indulget, vt *nullæ Litteræ Apoſtolicæ, vel Legatorum Apoſt. Sedis, quæ contra eos vel Monaſteria, ſeu loca eorum obtentæ fuerint, aliquam obtineant firmitatem, niſi expreſſam de Præmonſtrat. Ordine, & hac Indulgentia ſua fecerint mentionem.* Atque hoc ab Innocentij tempore ſtrictè fuiſſe obſeruatum, extant etiam in archiuis Laudunenſis Epiſcopi documenta non pauca.

Imò Præmonſtratenſium exemptionem eſſe reliquis majorem, probatum nuper eſt Romæ in cauſa Monaſterii Wiltinenſis aduerſùs Illuſt. Brixinenſem Epiſcopum, de quo ſupra, idque tum ex aliis quamplurimis, tum vel ex Antonio Auguſtino de ſtilo Datariæ, quæ in derogationibus,

Digitized by Google

poſtquam derogauit priuilegiis reliquorũ Regularium, vt Ciſtercienſium, Cluniacenſium &c. Addit, *etiam Præmonſtratenſium*, denotans ſingularem & magis latam exẽptionem; idque Romanæ Curiæ ſic fuiſſe perſuaſum, vt propter euidentem ac pacificam immunitatum noſtrarum poſſeſſionem, ſtilo Datariæ clauſulam hanc etiam addendam duxerint.

Cæterùm ex Gregorio & Gratiano arma non ſumimus, noſtris contenti, noſtris dimicantes, noſtris ſufficienter tecti, noſtris abundè ſecuri.

Vnde conſtat quàm inutiliter ac vanè ſibi ſimulacra monſtraque confinxerit Obſeruator, quæ faciliùs ipſe debellaret, quámque graphicè ſe ſuis coloribus depinxerit, cum Obſeruationis initio *Vitilitigatores* definiuit: ſcilicet, inquit, *vitilitigator eſt ille, qui diſputare cum neſciat, iurgare tamen & rixari non deſinit*: Obſeruator autem diſputare rectè cum neſciat, rectáque Præmonſtratenſium libertatum fundamẽta impetere, clamoribus ac jurgiis opplere omnia non deſinit, nunc Præmonſtratenſibus imponendo; nunc reſpondendo ad Decreti capita, ſed nemine proponente vel opponente; nunc Gratianum vt

Gregorii corruptorem incuſando; nunc Gregorium eximere conando à Gratiani (vt ait) corruptelis; quaſi in Gregorii & Gratiani conflictu ac pugna rerum noſtrarum ſumma verteretur, & ex Gregorii de Gratiano triumpho læthale vulnus infligeretur immunitatibus noſtris; quæ quidem, etſi Gratianus ſtet aut cadat, nunquam excident; quippe vt ait Obſeruator ex Gregorio Papa Epiſtola ad Ioannem Schillitanum Epiſcopum, *Graue nimis & contra Sacerdotale conſtat eſſe propoſitum, velle cujuſquam Monaſterij priuilegia olim indulta confundere, & ad irritum, quæ ſunt pro quiete diſpoſita, niti deducere.*

Digitized by Google

CAPVT XXIX.

Ad Obſeruationem 7. Inquiſitionis reſpondens.

Sibi ipſi contrarius Inquiſitor &c.

VERBIS exprimi vix poteſt quàm moleſtum ſit & importunum cum homine diſſerere, cui familiares cum ſint verſationes ac contradictiones aſſiduæ, ſtans aliud, aliud ſedens eadem de re dicere non erubeſcit. Sic nimirum qui cap. 14. Inquiſitionis ſuæ pag. 160. hæc ſcripſit: *quantum ad bona Monaſteriorum, & perſonas attinet, in ijs duobus poteſt eſſe priuilegium: ſed priuilegium & à juriſdictione ſpirituali, & à morum correctione nulla dari poteſt immunitas & exemptio.* Hîc pag. 277. puerorum in modum alibi ædificata deſtruens, hæc ait: *exemptio hæc ſpectat bona, perſonas, perſonarum actiones, præterea nihil. Tunc interdicitur juriſdictio, quæ in bona Monaſterij, in perſonas, & actiones Monachorum ſeu Clericorum exerceatur, quà bonis tributum indicatur, damnumve aliquod impor-*

Digitized by Google

tetur &c. quà perſonæ modo in vnum, modo in alterum Monaſterium transferantur; quà illis Eccleſiaſtica ſeu temporalia munia imponantur; quà Monaſterii diſciplina examinetur, & praui Monachorum ſeu Clericorum mores emendentur, ac cenſoriæ ſeueritatis nota inuratur. Hi ſunt certi ac definiti exemptionis iſtius limites, hic lapis, quem non contingunt Epiſcopi dum in Monaſterii baſilica Pontificali more faciunt, populo benedicunt, adoleſcentes Clericali militiæ aſcribunt, baptiſatis manum imponunt &c. Certè nullibi contradictionem apertam reperias, niſi hæc eſt.

Sed & inſimul Obſeruator ignorantiam prodit, aſſerens exemptionis pleniſſimæ hanc eſſe veram notionem, vt *bona, perſonas, perſonarum actiones ſpectet, præterea nihil:* quaſi hæc loca etiam ac territorium non ſpectaret, eſſetque difficiliùs Epiſcopali iuriſdictioni loca ipſa, quàm perſonas & perſonarum actiones ſubducere. Certè qui hoc non capit, in Canonici juris prudentia nihil capit.

Sed nec Clementinam *Archiepiſcopo* ab Obſeruatore rectè intellectam, ſuperiùs demonſtrauimus: hâc enim ſolummodo conceditur Epiſcopis, vt in locis exemptis populo ſuo, cum adeſt, benedicere queãt;

alia quæcumque ne audeant, diſtrictiſſimè prohibetur: *ſic tamen* (ait Clement.) *quod prætextu conceſſionis eiuſmodi in locis ipſis exemptis, vel circa hoc priuilegiatis nullam aliam iuriſdictionem idem Archiepiſcopus vel Epiſcopus exerceat &c.* Vnde ſi Clementinæ ſtare velit Obſeruator, atque ex Clementina iudicari, certum eſt Epiſcopos in locis exemptis nec poſſe adoleſcentes Clericali militiæ aſcribere, nec baptiſatis manum imponere, nec chriſmare, nec alia Eccleſiæ Sacramenta tradere: enimuerò hæc omnia tam, imò magis ſunt actus juriſdictionis, quàm ſit *Crucis geſtatio*, *celebratio in Pontificalibus*, ac *populi benedictio*; hæc autem poſteriora ex Concilii Viennenſis & Clementinæ iudicio iuriſdictio ſeu iuriſdictionis actus dicuntur; à quorum, vt etiã priorum, exercitio, qui pleniſſimâ ante Viennenſe Concilium exemptione fruebantur, abſoluti omni ex parte atque immunes erant; & quorum exercendorum in locis exemptis poteſtas à Concilio Viennenſi Epiſcopis conceſſa, facta dicitur in præiudicium exemptorum; vnde & additur, *ſic tamen quòd prætextu conceſſionis huiuſmodi in locis exemptis, vel circa hoc priuilegiatis nullam aliam iuriſdictionem idem Archiepiſ-*

Digitized by Google

copus vel Epiſcopus exerceat ; nec perſonis exemptis, vel priuilegiatis moleſtiam inferat vel grauamen, nullumque exemptioni vel priuilegiis, aliud præiudicium generetur, nec ipſis Archiepiſcopo vel Epiſcopo ius acquiratur. Quid clarius?

His adde, ſi nullum iuriſdictionis preiudicium ex eiuſmodi actibus metuendum eſſet, vanè ac friuolè ſacri Canones tanta ſeueritate cauiſſe viderentur, ne illi exercerentur in aliena diœceſi. Vnde cum per Apoſtolica priuilegia, *exemptione pleniſſimâ*, & inter pleniſſimas *ſingulari* donati ſint Præmonſtratenſes, quæ omnem Epiſcoporum, præterquam Romani Pontificis, poteſtatem procul eſſe debere ſignificat, jure merito eiuſmodi actus in locis ſuis ſine ſua licentia exerceri non patiuntur.

Taceo eiuſmodi Pontificalium vſu quietem ac pacem Religioſorum plurimùm interturbari, cui quieti ac paci pij Pontifices ſuis indultis quantum in ſe fuit proſpicere voluerunt. Quod, velit, nolit, agnouiſſe videtur hîc pag. 278. Obſeruator, cum ait: *de Epiſcopis loquor, qui ſanâ mente vtantur, nec velint intempeſtiuè ſacra obire munia, quæ tempeſtiuè obeunda ſunt: neque enim decet bonum*

opus, quod Monachi, ſeu Clerici ſtatis horis peragunt, alio bono opere abrumpi & interturbari. Quidquid enim Epiſcopi, Clerici, & Monachi conuenienter inſtitutis ſuis faciunt, ordine fieri debet, cum non ad oſtentationem & ſæculàrem faſtum, ſed propter Dei gloriam & ſanctum ac commune bonum Eccleſiæ fiat neceſſariò & abſoluatur. Cùm igitur Regularibus viris ſuum cuique quadranti, cuique momento præfixum ac determinatum ſit opus, in communi vt plurimùm abſoluendum, vt *dies pleni inueniantur in eis*, (quod & agnouiſſet Obſeruator, ſi vel vnico die bonus Monachus extitiſſet.) Cùm præterea eiuſmodi muniis obeundis aliæ propemodum infinitæ ſuppetant Epiſcopis Eccleſiæ, quas propter ſacrorum deſuetudinem ac penè non vſum vix à prophanis locis diſtinguères; certum eſt in Regularium Eccleſiis non niſi intempeſtiuè, inordinatè, ac cum regularium exercitiorum, quietiſque diſpendio Pontificalia iſta exerceri poſſe.

Digitized by Google

vtendo priuilegio conceſſo? quod quidem reuinci poterat abundanter Sanctorum Anſelmi & Bernardi dictis, factiſque. Si *Buſæus ad Sodalem Henriquem Lectores remittat?* ſi *pauca de hac materia Henriques?* ſi *Buſæus Henriqueſque non conſentiant?* quamquam optimè conſentiant, concinantque, ſed ab imperito muſico concentus non percipiatur. Quid, inquam, hæc negatiua, forinſeca, & extranea proſunt, niſi vt hâc indigeſtâ, totieſque recoctâ crambe nauſea excitetur, tot non cohærentium multitudine Lectoris fatigetur attentio, patientia ludatur?

Quanquam longè aliud, multóque perniciosius hîc moliri videatur Obſeruator, nimirum vt intricato multiloquio, textibus Bernardi, Bleſenſis, Concilij delectorum Cardinalium præpoſterè intellectis, mendaciis, iniuriis atrocibus in ſanctam Sedem ſcaturiente, exorcatam Guillelmi de ſancto amore doctrinam innouet diſſeminetque: atque hanc à totius orbis Chriſtiani, fideliumque omnium cordibus per fas & nefas veritatem eripiat, *authoritate Apoſtolicà non ſolùm poſſe dari, ſed de facto data priuilegia, datas immunitates*: ſcilicet potentiam iuxta ac actum impetit.

Id porro diſertè rediuiuus, dudumque damnatus Guillelmus noſter, cùm tota hâc Obſeruatione, tum maximè pag. 292. & 293. vbi ait: *dum Pontifex perſonas quaſdam ſibi immediatè ſubÿcit, & illarum cauſas reſeruat iudicio ſuo, fit iniuria poteſtati Epiſcoporum à Deo inſtitutæ. Fit iniuria Eccleſiæ, cuius Canones totius mundi obſeruatione conſecrati in contemptum adducuntur. Fit iniuria Romanis Pontificibus, &c.* Et pag. 300. Bernardo & Bleſenſi luculenter imponens, ait, docere eos, *exemptiones cum multis ſcripturæ teſtimoniis neutiquam cohærere. Neutrum exemptionem vllam, quæ facta ſit ob communem Eccleſiæ vtilitatem, agnoſcere.*

Certè ſi nulli concedi poſſit exemptio, quin tot inferantur iniuriæ, quin Scriptura diuinitùs inſpirata, Iuſque diuinum poſitiuum in ea contentum violetur. O iniquos (ſi Launoio credimus) tot Romanos Pontifices, ſanctorum nihilominùs albo aſcriptos! ô iniqua tot Oecumenica Concilia! Tridentinum ipſum tot Canones regulaſque de Exemptis continens! O iniquos, ô plurimum aberrantes tot Reges Chriſtianiſſimos, tot ſupremos Principes, quorumdam Monaſteriorum immediatam Romano Pontifici ſubiectionem eni-

ræ procurantes! O denique Ius Eccleſiaſticum iniquum, ô Clementinas iniuſtas, ô totam Eccleſiaſticam diſciplinam in maligno poſitam ac ſepultam! quis hoc ferat? quis porro Launoij deliria, blaſphemiaſque?

Sed ad te reuertor (ô inanis homo) nimirum paginis 284. 285. 286. & 287. totus es vt oſtendas Regulares in ſchola perfectionis erudiri efficacius ſub Epiſcopis, quàm ſub ſuperioribus exemptis. Id autem bellè confirmas eleganti hac figura Rhetorices, (ſepties nimirùm repetitis iis vocibus, *Iniuriam parem, Iniuriam parem*) vbi tamen de tua quæſtione, efficaciuſne in ſchola perfectionis erudiantur exempti, quàm non exempti, ne verbum quidem; eſto enim Regulares quibuſdam Canonibus Epiſcopis olim ſubiecti fuerint, quid inde? ſi poſterioribus Conciliorum Canonibus, ſi indultis Apoſtolicis, ſi Sedis Apoſtolicæ ſanctionibus, quæ *omnes ſic accipiendæ ſunt tanquam ipſius diuini Petri voce firmatæ ſint, diſt. 19. C. ſic omnes*, ſint exempti?

Cæterùm quinam efficaciùs in ſchola perfectionis erudiantur, docet non ſpeculatio, ſed ipſa praxis nemini non nota;

Digitized by Google

docent tot Eccleſiæ lumina, Antiſtites intelligo Illuſtriſſimos, qui purpuram paſtoralem in religioſæ vitæ ſaccum cineremque commutarunt: docent Bartholomæus toties à te laudatus & Gualterus II. vir copioſiſſimè eruditus, ex Laudunenſibus Epiſcopis hic apud noſtros Sammartinenſes Canonicus, ille pauper in Fuſniaco Monachus. Doceret etiamnum perfectionis quorumdam Clericorũ Laudunenſi Epiſcopo omni ex parte ſubiectorum facta cum Carthuſianis eiuſdem diœceſis collatio. Doceret pij deceſſoris Laudunenſis Epiſcopi factum, qui Benedictinos ſancti Vincentij ſibi omni iure ſubiectos, Regularibus exemptis tradidit erudiendos, aduocatis è Congregatione ſancti Mauri Patribus ſat multis; quod & pręſtitit in Monaſterio ſancti Ioannis Laudunenſis. Doceres ipſe tu, qui, licet ad pedes Gamalielis quotidie ſedeas, necdum tamen tacere, necdum loqui didiciſti, ſcholæ perfectionis, tot annos ridiculus inaniſque diſcipulus.

Quæ porro profers pag. 288. & 299. circa finem: *ſi poſſit Romanus Pontifex Regulares omnes ab Epiſcoporum lege diœceſana eximere; ergo poteſt Chriſtianos omnes populos*

ab Epiſcoporum lege liberare, ſibique immediatè ſubijcere, &c. Launoici ratiocinij ſenium produnt, cui Theologica Philoſophicaque exciderunt ſcilicet *à diuiſis ad coniuncta* (ſapientiam coram perfectis loquimur) argumentari non licet. Ad ſcholam igitur, ô ſenex.

CAPVT XXXI.

Ad Obſeruationem 9. Inquiſitionis reſpondens.

Inquiſitor iterum extra rem benè multa: atque ex minutioribus minutiorum Obſeruator iudicatur.

HÆC *Obſeruatio* (ait Obſeruator pag. 317. in fine) *omitti potuit*; addo, & debuit, niſi effrenis ſcribendi libido rationem præuertiſſet; ſcilicet paginis ſexdecim, quibus ipſa tota continetur, ne ſalis micam, ingenijve compotis ſui vel tenuem vmbram exhibet.

Primò enim (quod totum extra rem

Digitized by Google

longè latéque excurrit) in Aſcanium Tamburinum , *ſus nimirum aduersùs Mineruam* , inſurgit ; eique imponit pugnantia fuiſſe loquutum in materia , quam Obſeruator ipſe ſibi proponit. Quod etſi verum eſſet , quid noſtra referret ? quidve ad propoſitam ab Obſeruatore quæſtionem ?

Tum Obſeruator, ex eo quòd Laudunenſis Epiſcopus ſemel in ſancti Martini Laudunenſis Monaſterio Confirmationis ſacramentum adminiſtrauerit , & ſemel Ordines ſacros in Monaſterio beatę Marię Cuiſſiacenſis contulerit permiſſu rogatuque noſtrorum , ait inde ſequi Monaſteria illa duo exempta non eſſe. Quod quidem quàm nullius momenti ſit, oſtendi cap. 17. ad 16. Inquiſitionis reſpondens.

Sed (inquit Obſeruator) *Canonici Sammartinenſes in Cathedralem veniunt Eccleſiam, vt ſolemni interſint ſupplicationi , quæ in feſto Corporis Chriſti quotannis habetur.* Quid inde, (ô minutiorum Obſeruator) cum & Capucini, & Minimi , & Benedictini, & exempti omnes ad honorem , cultum , ſplendoremque tantæ tamque venerandæ ſupplicationis pariter interſint, ordine quique ſuo ?

Sed & in eandem conueniunt Eccleſiam (inſtat

Obſeruator) *ad primam cuiuſque menſis Dominicam diem, interſuntque ſupplicationi, quæ pro negotijs communibus decreta eſt.* Iterum quid inde? cùm etiam interſint Canonici Eccleſiæ Cathedralis, nec propterea ſe minùs exemptos putent ab Epiſcopi jurisdictione.

Præterquàm quòd noſtri eiuſmodi ſupplicationi interſunt cum commodè poſſunt; cum verò non poſſunt, aut id ab ipſis exigitur tanquam jure debeant, abſunt frequentiſſimè, vti patet ex facto Ioannis Abbatis, qui cum per Apparitorem modo judiciario vocaretur, reſpondit: deuotionis eſt actus iſte, mihi meiſque Religioſis liberrimus, non ſtricti iuris: ſi per negotia liceat, & adeſſe voluerimus, aderimus; ſin minùs, aberimus, nihil inde metuentes. Atque iſta vice inter alias abfuerunt, quemadmodum docet inſtrumẽtum ſequens.

[In nomine Domini Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat euidenter & ſit notum, quòd Anno à Natiuitate eiuſdem Domini milleſimo quadringenteſimo vndecimo, Indictione quarta, menſis Iulii die duodecima, hora quaſi nona ante meridiem, Pontificatûs

Digitized by Google

ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri Domini Ioannis Diuinâ prouidentiâ Papæ vigeſimi tertii anno ſecundo, in mei Notarij publici Teſtiumque infraſcriptorum ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum præſentiâ, propter hoc perſonaliter conſtitutus Ioannes Boüillon Clericus Curiæ Laudunenſis Notarius & Apparitor, dixit & expoſuit venerabili in Chriſto Patri & Domino Domino Ioanni Abbati Monaſterii ſancti Martini Laudunenſis, Ordinis Præmonſtratenſis, quòd ordinatum erat per Reuerendum in Chriſto Patrem & Dominum Dominum Laudunenſem Epiſcopum & Clerum Laudunenſem facere in craſtino proceſſionem generalem in villa ſeu ciuitate Laudunenſi pro ſanitate Domini noſtri Regis, bonis terræ & pace; quare eidem Domino Abbati fecit mandatum ex parte Domini Laudunenſis Epiſcopi, quatenus eidem proceſſioni intereſſet. Cui Abbas reſpondit quaſi admirando, ſub his verbis Gallicè. Commandement dea! commandement ſe je n'ay ma beſoingne à faire, je iray? Cui Apparitor iterum eidem dixit, Ego facio vobis præceptum ex parte Domini Laudunenſis Epiſcopi, quòd vos ſitis in

dicta proceſſione. Ad quæ idem Dominus Abbas reſpondit : Si bonum mihi videtur, ibo ; & ſi bonum mihi non videatur, ibo ad negotia mea , ſi habuero agere. De quibus omnibus & ſingulis ſupradictis præfatus Apparitor recedendo feſtinanter a Scriptorio dicti Abbatis petiit à me Notario publico infraſcripto ſibi fieri atque tradi publicum inſtrumentum vnum vel plura. Acta fuerunt hæc in dicto Monaſterio, in quodam Scriptorio exiſtente prope Aulam dicti Abbatis, ſub Anno, Indictione, Menſe, Die, Hora & Pontificatu prædictis, præſentibus ad hæc Goſſeto Baudier Curiæ Laudunenſis Ianitore, & Bertrando de Diſy Clericis Curiæ Laudunenſis Notariis, Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Item Anno, Indictione, Menſe, Die & Pontificatu prædictis, horâ quaſi decimâ ante meridiem, in Eccleſia Laudunenſi perſonaliter conſtitutus Religioſus vir Frater Henricus de Creſſy Prior Monaſterii ſancti Martini Laudunenſis nomine præfati Domini Abbatis, & pro ipſo petiit à me Notario publico infraſcripto, vtrum interfueram in dicto Monaſterio ſancti Martini Laudunenſis prædicto cum præfato Ioanne Boüillon Nota-

rio & Apparitore Curiæ Laudunenſis tanquam Notarius publicus, dum idem Ioannes Boüillon eidem Domino Abbati intimauit & cum præcepto Domini Laudunenſis Epiſcopi, quod idem Abbas intereſſet in craſtino diei dictæ in proceſſione generali Lauduni fienda ; ad quæ eidem Priori reſpondi, quòd ſic. Quibus à me auditis idem Prior mihi dixit, quòd præfatus Dominus Abbas pluribus aliis arduis negotiis ſuis & ſui Monaſterii, vbi pro tunc vacabat & militabatur, præpeditus aduertens quòd non plenè ſuum intentum pro reſponſione facta præfato Ioanni Boüillon Apparitori declarauerat, ad pleniùs ſuam intentionem declarandam iterum dictum Priorem ſine interuallo, vel quaſi, miſit poſt me Notarium publicum infraſcriptum, & præfatum Apparitorem. Qui quidem prior Apparitori & mihi dixit & ex parte dicti Domini Abbatis, quòd præfatus Dominus Laudunenſis Epiſcopus nullam habet juriſdictionem vel dominium in perſonam dicti Abbatis, Religioſorum, Eccleſiæ, & Monaſterii prædictorum : & quòd ad præceptum ſuum dictus Abbas non tenebatur obedire. De & ſuper quibus omnibus & ſingulis ſupradictis

præfatus Prior petiit à me Notario publico infraſcripto ſibi fieri atque tradi publicum inſtrumentum, vnum vel plura. Acta fuerunt hæc in dicta Eccleſia Laudunenſi, ſub Anno, Indictione, menſe, die, hora, & Pontificatu quibus ſupra, præſentibus ad hoc Petro Vairet Clerico, & Petro Feruacque Lauduni manentibus, Laudunenſis & Nouiomenſis diœceſum Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Item Anno, Indictione, Menſe, die, & Pontificatu prædictis, horâ quaſi quintâ poſt meridiem dictæ diei præfatus Dominus Abbas Monaſterii ſancti Martini Laudunenſis in oſtio clauſtri dicti ſui Monaſterii iuxta Caudam Prioris eiuſdem ſituato, me Notarium publicum infraſcriptum, & Teſtes infraſcriptos illic reperiens, continuando ſuam intentionem & propoſitum, omnia & ſingula ſupraſcripta per præfatum Priorem nomine ipſius Abbatis & pro ipſo dicta & enarrata laudauit, ratificauit, & approbauit, ac ea modo præmiſſo dicta & narrata reiterauit. Vlteriùs dicens, quòd ad dictam proceſſionem propter dictum præceptum non veniret: Nam proceſſio fieri debet ex deuotione & non ex præcepto. Nec vnquam

eidem Abbati ſeu eius prædeceſſoribus tale præceptum factum fuerat: Qui & ante præceptum ſibi factum deliberauerat intereſſe in dicta proceſſione cum cæteris, ſed obſtante eiuſmodi præcepto minimè compareret, dubitans ne ſuis, & ſui Monaſterii & Ordinis derogaret priuilegiis, ſi dicto præcepto obtemperaret. De & ſupra quibus omnibus & ſingulis ſupradictis præfatus Dominus Abbas petiit ſibi fieri atque tradi publicum inſtrumentum, vnũ vel plura, per me Notarium publicum infraſcriptum. Acta fuerunt hęc in loco prædicto, ſub Anno, Indictione, Menſe, die, hora, & Pontificatu prædictis, præſentibus ad hoc Religioſis viris Fratribus Ioanne de Fara Cellario, Ioanne Bertrandi, Religioſis dicti Monaſterii, Ioanne Vairet, Ioanne le Mercier Clericis, & Ioanne Dercommiſſaio Laïco Lauduni manentibus, Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et infra

Et Ego Ioannes Braſſardi Clericus Cameracenſis diœceſis publicus authoritate Apoſtolicâ Notarius præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic vt præmittitur, per Pronotarios fierent & agerentur, vnà cum prænotatis Teſtibus præſens interfui, eaq;

ſic fieri vidi & audiui, & ad petita modo præmiſſo reſpondi, idcirco huic præſenti publico inſtrumento de præmiſſis confecto, aliena manu fideliter ſcripto, me aliis arduis præpedito negotiis, ſignum meum ſolitum appoſui, hicque me ſubſcripſi requiſitus & rogatus in fidem & teſtimonium veritatis præmiſſorum. Braſſardi.]

Denique multa rem non tangentia ex opuſculis Hincmari Rhemenſis Epiſcopi. Ex Flodoardo. Ex profeſſione fidei Adalberti Morinorum Epiſcopi, quam obtulit Hincmaro ante ordinationem. Ex Gallicanis Præſulibus. Ex Gerberto. Ex Greg.7. Ex Pontificali M.S. Laudunenſis Eccleſiæ in fidei profeſſione. Ex Pontificali Romano pag.317. vbi dicitur Epiſcopo conſecrando, *vis traditiones Orthodoxorum Patrum, ac decretales ſanctæ & Apoſtolicæ Sedis conſtitutiones veneranter ſuſcipere, docere, ac ſeruare. R. Volo.* Ex quibus omnibus conſtat vnumquemque Epiſcopum, Archiepiſcopum debere veneranter Canones ſacros, & Apoſtolicæ Sedis Pontificum decreta ſuſcipere, docere, obſeruare: quod verum eſt; ſicut & Romanum Pontificem, vniuerſalis Eccleſiæ Recto-

rem, Canonum Conditorem ac Dominum, diſpenſatorem vbi caſus exigit; pro ſuprema ac pleniſſima in fideles Eccleſiamque poteſtate. Cæterùm ſi quibuſdam dicatur ligari; intellige, iis qui de fide, probiſque moribus concipiuntur, non de conſuetudinibus aut Eccleſiaſtica exteriori diſciplina.

CAPVT XXXII.

Ad Obſeruationem 10. Inquiſitionis reſpondens.

Iuſtè ſcienterque à Præmonſtratenſibus obiecta poſſeſſio.

IMPEDIRE ne Laudunenſis Epiſcopus in Baſilicis Præmonſtratenſium benedicat populo, & Tonſuram, Confirmationiſque ſacramentum tribuat; controuerſiæ momenta ſunt duo, in quibus Præmonſtratenſes verè, ſcienterque poſſeſſionem multiplici priuilegio fultam obiiciunt,

quorum vtrumque eſt quouis termino immobilius.

Priuilegia porro videre eſt huius operis cap. 15. & alibi paſſim. Ex quibus conſtat à ſummis Pontificibus, à Conciliis Oecumenicis, à Iudicibus ab vtriſque deputatis, à Chriſtianiſſimis Regibus, à Senatibus ſupremis; imò à Metropolitanis Epiſcopis (e. g. Lugdunenſi) aduersùs inferiores Epiſcopos; ab Epiſcopis ipſis (e. g. Claromontenſi) aduersùs ſeipſos in fauorem Præmonſtratenſium iudicantibus, omnem prorſus in Præmonſtratenſium perſonas & loca Epiſcopis ademptam iuriſdictionem, ſuperioritatem, poteſtatem.

Poſſeſſionem autem manifeſtè demonſtrant, tum acta Rhemenſis Archiepiſcopi, Epiſcoporumque Ambianenſis, Margacenſis, Claromontenſis, Sueſſionenſis, ſupra cap. 15. circa medium, imò Laudunenſis etiam ſupra pag. 312. relata: tum latæ aduersùs Epiſcopos Briocenſem, Ambianenſem, Senonenſem, Brixinenſem, Andegauenſem ſententiæ, à nobis ibidem potiſſimùm, & alibi productæ: tum denique alia paſſim in præcedentibus capitibus expoſita: ex quibus

apertè conſtat Epiſcopos in Eccleſiis noſtris, non modo ritu ſolemni benedicere, Tonſuramque & Confirmationem tribuere non poſſe; ſed nec ad ipſas, imò nec ad Parochiales Eccleſias ab iis pleno iure dependentes ingredi poſſe, niſi de noſtrorum licentia; hancque fuiſſe Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ad nos accedentium mentem.

Quod & agnouit Illuſtriſſimus deceſſor Laudunenſis Epiſcopi Philbertus de Brichanteau, qui cum in Comitiis Generalibus Ordinis an. 1630. præliminariæ concioni voluiſſet intereſſe, rogatuſque fuiſſet ab Ampliſſimo Generali Petro Goſſetio, vt Eccleſiaſtæ concionaturo totique cœtui vellet bene precari, planè recuſauit, hanc addens tanto viro dignam ſententiam, *locus in quo ſto veſter eſt, Territorium Petri, vos ipſi benedicite.*

Id etiam à menſibus non ita multis agnouit Illuſtriſſimus Condomenſium Epiſcopus, qui cum in Monaſterio Præmonſtratenſi Dominica 1. menſis Octobris proximè elapſi ſummo Sacro intereſſet, eique ſe nutu Generalis Ampliſſimi Thuribularius Acholytus, Diaconuſque Euangelium è pulpito cantaturus bene-

dicendos

dicendos obtuliſſent, omnino renuit, eoſque manu ad Ampliſſimum Generalem benedicendos reduxit.

Id agnouit Illuſtriſſimus Rhemenſis Archiepiſcopus Leonorius Deſtempes in Monaſterio Branenſi, quemadmodum ſupra vidimus.

Hanc denique poſſeſſionem nuper agnouere, atque confirmauere aduersùs Ambianenſem Epiſcopum Integerrimi libellorum ſupplicum Præfecti ſententiâ quæ ſequitur.

[Les Maiſtres des Requeſtes ordinaires de l'Hoſtel du Roy. A tous ceux qui ces preſentes Lettres verront ſalut. Sçauoir faiſons, qu'en la cauſe d'entre Frere Iean le Roux, Preſtre, Religieux de l'Ordre de S. Auguſtin, Curé de la Paroiſſe de Noſtre-Dame de Selincourt demandeur en Requeſte preſentée à l'Official d'Amiens le douziéme Octobre, mil ſix cent cinquante cinq: *A ce que deffenſes ſoyent faites aux Religieux deffendeurs, de plus à l'aduenir s'immiſcer es fonctions Curiales ſur les perſonnes Seculiers demeurants dans l'enclos de l'Abbaye de S. Pierre lez Selincourt ſoubs les peines de Droit, & pour s'y eſtre ingerez ſans permiſſion, qu'ils ſoyent condamnez à telles pei-*

Digitized by Google

nes que de raiſon. Et encore demandeur en autre Requeſte preſentée à la Cour le treiziéme Févrierdernier, à ce que acte luy ſoit donné de ce qu'il reïtere les Conclusions par luy originairement priſes pardeuant ledit Official d'Amiens, à ce qu'il ſoit dit, qu'il pourra ſeul adminiſtrer les Sacrements aux Laïques, demeurants dans l'enclos & lieux dependants de ladite Abbaye, deffenſes faites auſdits Religieux de l'entreprendre ſoubs les peines de Droit, & pour l'auoir fait, qu'ils ſoyent condamnez à ſes deſpens, dommages & intereſts & deſpens, par Maiſtre Germain Billard, & Martial Germignon ſes Aduocat & Procureur d'vne part, & les Religieux, Prieur & Conuent de ladite Abbaye de S. Pierre lez Selincourt, Ordre de Premonſtré deffendeurs d'autre. Et encore entre leſdits Religieux demandeurs en complainte ſuiuant la Commiſſion obtenuë du Bailly d'Amiens, le vingtiéme Octobre, mil ſix cent cinquante cinq. *A ce qu'il ſoit ordonné, qu'ils ſeront maintenus & gardez en leurs droits & poſſeſſion immemoriale & ſaiſine d'adminiſtrer les ſaints Sacrements aux Receueurs, Fermiers, Meuſnier, & autres perſonnes ſeculieres de-*

meurants dans l'enclos de ladite Abbaye, & les deffendeurs condamnez à reparer le trouble qui leur a eſté fait, auec condamnation d'amende, deſpens, dommages, & intereſts, & en cas de procez la recreance leur fut adjugée, d'vne autre part; & leſdits le Roux, & *Meſſire François Faure*, *Conſeiller du Roy en ſes Conſeils, Eueſque d'Amiens prenant le fait & cauſe pour ſon Promoteur* deffendeurs, d'autre. Et encore entre *Meſſire Claude du Val Abbé* de ladite Abbaye interuenant, & auſſi *demandeur en complainte* pour le meſme fait, ſuiuant les Concluſions priſes par ſa Requeſte preſentée à la Cour le troiſiéme Mars dernier d'vne autre part, & *ledit ſieur Eueſque d'Amiens* audit nom, & ledit le Roux deffendeurs, d'autre. Et encore *entre leſdits Religieux, demandeurs en Requeſte iudiciairement faite & ennocée en la Sentence de la Cour*, du vingt-quatriéme dudit mois de Mars, *à ce que main-leuée leur ſoit faite de l'oppoſition* formée par ledit le Roux, *à la proclamation des bans, & autres actes faits en ladite Abbaye, pour les Mariages commencez* entre Iean Cornu & Ioſſine Boucher fille de leur fermier, & encore entre Pierre Matifas fils de leur meuſnier

& Marie Greſſier, & ſans y auoir eſgard, ordonné qu'il ſera paſſé outre audits Mariages, d'vne autre part, & ledit le Roux deffendeur d'autre, ſçauoir ledit le Roux par Maiſtre Germain Billard, & Martial Germignon ſes Aduocat & Procureur, *ledit ſieur Eueſque d'Amiens*, par Maiſtre....... Robert &.......Iurandon auſſi ſes Aduocat & Procureur, & leſdits Abbez & Religieux de Selincourt, par Maiſtre Loüis du Bois, & Iean Couſin, & Pierre Demodaue auſſi leurs Aduocat & Procureur, d'autre. *La Cour parties ouyes, enſemble Foulé pour le Procureur du Roy, pour leur faire droit au principal, les a appointé & appointe en droit à eſcrire par aduertiſſement, & produire tout ce que bon leur ſemblera dans huitaine, bailler contredits & ſaluations dans le temps de l'Ordonnance, & cependant par prouiſion ſans prejudice de leurs droits audit principal à maintenu & gardé, maintient & garde les parties de du Bois en la poſſeſſion, en laquelle ils ſont d'adminiſtrer les Sacrements, & faire fonctions Curiales dans l'Enclos de leur Abbaye; Ce faiſant ordonne que ſans auoir eſgard à l'oppoſition de la partie de Billard, il ſera paſſé outre à la celebration des Mariages, dont eſt queſtion,* tous deſpens, dommages & intereſts re-

Digitized by Google

ſeruez, & ne pourront les qualitez prejudicier, & ſera la preſente Sentente executée, nonobſtant oppoſition, où appellation quelconque, & ſans prejudice d'icelles. Si mandons au premier Huiſſier où Sergent Royal, ſur ce requis, mettre ces preſentes à execution, de ce faire luy donnons pouuoir. Donné à Paris ſoubs le Scel deſdites Requeſtes de l'Hoſtel, le vnziéme Aouſt, mil ſix cent cinquante neuf. Signé le Maſier, auec Paraphe.]

Cæterùm ad hoc vt Præmonſtratenſes poſſeſſionem iuſtè queant opponere, atque impedire ne ſuis in Baſilicis ſe inuitis Epiſcopi huiuſmodi actus exerceant, non eſt opus *vt Abbates & Canonici noſtri præſente diœceſano Epiſcopo benedictionem populo impertierint, Tonſuram & Confirmationem ipſi dederint, ac ſacros Ordines celebrauerint,* quemadmodum ridiculè effutit hîc p. 319. Obſeruator; ſed ſatis ſuperque eſt, ſi pleniſſimæ atque omnimodæ Exemptionis tam ad loca, quàm ad perſonas ſe extendentis, priuilegium habeant; ſi Diœceſani territorio ſubducti, in alienam (puta Romanam) diœceſim publicè legitimâ authoritate tranſlati ſint; ſi actis ſuis Epiſcopi id agnouerint; ſi Diœceſanis inuitis eiuſ-

modi ſacramenta à quocumque Epiſcopo tranſeunte vel hoſpitante ſuſcipere poſſint & ſuſceperint; ſi aduersùs Epiſcopos, ne ipſi in Monaſteria ſua, ne in grangias, ne in loca à Monaſterijs dependentia, *vtpote ab omni ſuperioritate, dominio, iuriſdictione eorum prorſus exempta, ac totaliter liberata, ſolique Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiecta* ingrediantur, ſententias multiplices obtinuerint; ſi eiuſmodi munia in Baſilicis eorum Epiſcopi diœceſani ipſis inuitis non exercuerint; ſi cum exercuerunt, de Præmonſtratenſium licentia & voluntate id à ſe factum eſſe quibuſdam actis (cum nimirum rogati ſunt) declarauerint. Quæ quidem omnia hîc concurrunt, quemadmodum conſtat ex allatis inſtrumentis.

Ideò verò ad hęc vſque tempora Laudunenſem Epiſcopum inter noſtroſque, de præſentibus caſibus non eſt exorta contentio in exteriori foro per legitimum & idoneum Iudicem dirimenda, quia Laudunenſes Epiſcopi priuilegiorum noſtrorum euidentia conuicti ſimilia nobis inuitis operari nunquam tentarunt.

Sed inſtat Obſeruator pag. 320. *Litis argumentum pertinere ad iura meræ facultatis, quibus homines vtuntur ad arbitrium, vel non*

Digitized by Google

vtuntur. Quapropter ſi Laudunenſes Epiſcopi Tonſuram & Confirmationem in Monaſteriorum Eccleſiis dare immenſo tempore omiſerint vel intermiſerint, ex intermiſſione aut vacatione tali nec iura Epiſcopo minuuntur, nec iura Præmonſtratenſium augentur. Quod quidem argumentum eſt à falſo ſuppoſito : ſupponit nimirum ablatam non eſſe Epiſcopis eiuſmodi facultatem per ſuperiorem legitimam poteſtatem, vti de facto ablata eſt indultis Apoſtolicis : cum enim publicis atque authenticis inſtrumentis facultas eiuſmodi ſic fuit ablata, tunc homines ad arbitrium ſuum *iuribus* iſtis *facultatis* ablatæ vti non poſſunt. Vnde patet inter loca Præmonſtratenſium, & villarum in agro Laudunenſi conſtitutarum iuriſdictioni Epiſcopali ſubditarum (in quibus tamen Laudunenſis Epiſcopus Ordines ſacros nunquam contulit) diſcrimen ampliſſimum : in his Ordines conferre poteſt, in illis non poteſt.

De Prætoris Interdicto *(Vti nunc poſſidetis, ita poſſideatis)* hîc ab Obſeruatore laudato, ego eum remitto ad Quatremarium, egregiè vtique excipientem, priuil. S. Medardi Sueſſ. propug. art. 16. pag. 119. & ſequentibus.

Hoc duntaxat addo, in gratiam Sammartinenſium : poſſeſſionem videlicet Exemptionis & libertatis ipſorum, *nec vi, nec clam, nec precariò* cõparatam eſſe, quemadmodum ſugillat hîc Obſeruator p. 320. Quod *nec vi, nec precario*: res ex ſe nota eſt.

Quòd *nec* etiam *Clam* ſit comparata, inde patet; quòd Laudunenſis Epiſcopus anno 1254. viderit Conſeruatores priuilegiorum noſtrorum agentes & ſententiantes in fauorem Sammartinenſium aduersùs quoſdam tam Eccleſiaſticos quàm ſæculares Ciuitatis & diœceſis Laudunenſis, quemadmodum docent acta, quæ hîc longum eſſet referre. Quòd ſciuerit idem Epiſcopus, anno 1323. datum ab Archiepiſcopo Rhemenſi noſtris Sammartinenſibus actum, quod ſupra p. 256. retulimus. Quòd ipſe per Officialem ſuum an. 1405. die 3. Ianuarij Sammartinenſibus hoc Inſtrumentum dederit. *Vniuerſis præſentes litteras, ſeu præſens publicum inſtrumentum inſpecturis Officialis Laudunenſis ſalutem in Domino, & præſentibus fidem plenariam adhibere. Noueritis nos litteras ſanctiſſimi in Christo Patris ac Domini noſtri Domini Benedicti diuina prouidentia Papæ tertij-decimi, eius vera Bulla plumbea cum cordula Canapis more Romanæ*

Digitized by Google

Curiæ Bullatas, ſanas & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte corruptas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, nobis coram Notario & teſtibus infraſcriptis præſentatas vidiſſe, tenuiſſe, & diligenter inſpexiſſe, quas per Notarium infraſcriptum tranſcribi & publicari mandauimus; quarum tenor ſequitur in hæc verba. Benedictus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filijs S. Vincentij Laudunenſis, & S. Genouefæ Pariſienſis, ac S. Auberti Cameracenſis Monaſteriorum Abbatibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Militanti Eccleſiæ licet immeritò diſponente Domino præſidentes, &c. Sanè dilectorum filiorum Abbatis, & Conuentus Monaſterij Laudunenſis Præmonſtratenſis Ordinis conqueſtione percepimus, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, alijque Prælati, &c. Quare dicti Abbas & Conuentus nobis humiliter ſupplicarunt, vt cum eiſdem valde reddatur difficile pro ſingulis querelis ad Apoſtolicam Sedem habere recurſum, (vbi vides immediatam Sedi Apoſtolicæ ſubiectionem) *proinde ipſis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur aduersùs occupatores, detentores, præſumptores, &c. volentes eiſdem Abbati & Conuentui remedio ſubuenire, &c. diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus*

Digitized by Google

vos, &c. præfatis Abbati & Conuentui efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis, &c. Datum Maſſiliæ apud S. Victorem 14. Kal. Maij, Pontificatus noſtri anno 10. *In cuius viſionis, & omnium præmiſſorum teſtimonium præſens tranſſcriptum, ſeu tranſſumptum exinde fieri & per dictum Notarium publicum infraſcriptum ſcribi &* Publicari *mandauimus, ſigillique Curiæ Laudunenſis fecimus appenſione communiri, volentes & authoritate noſtra Ordinaria decernentes tenore præſentium, quatenus his præſentibus litteris, ex dictis litteris Apoſtolicis extractis, & in hanc publicam formam per eundem Notarium redactis, ſigilloque dictæ Curiæ ſigillatis plena fides adhibeatur, & contentis in eiſdem ſtetur in iudicio & extra firmiter & credatur ſicut originalibus litteris, & in his omnibus noſtram authoritatem Ordinariam interponimus, pariter & decretum. Datum & actum in auditorio Curiæ Laudunenſis coram nobis pro tribunali ſedentibus ſub anno à natiuitate Domini* 1405. *indict. 13. menſis Ianuarij die 3. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Benedicti diuina prouidentia Papæ 13. ſupradicti, an. 11. præſentibus ad hoc venerabilibus & diſcretis viris, Magiſtris Ioanne Mathon, & Adam Deſtricourt Licentiatis in legibus, Anſelmo de Cuiſy, & Gerardo Charlot Clericis Procuratoribus in Curia Lau-*

Digitized by Google

dunenſi, Laudunenſis diœceſis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et infra. *Et ego Ioannes Surdi Lauduni oriundus, publicus Apoſtolica & Imperiali authoritate Notarius præmiſſis omnibus & ſingulis dum ſic, vt præmittitur, fierent & agerentur vnà cum prænominatis teſtibus præſens fui, & ea ſic fieri vidi, idcirco huic præſenti tranſcripto, ſeu tranſſumpto, ſeu præſentibus litteris de mandato præfati Domini Officialis per me ſcripto, ſeu ſcriptis diligenti collatione de præſentibus cum diſcretis viris Ioanne Braſſardi authoritate Apoſtolica prædicta, & Ioanne Bouillon, Curiæ Laudunenſis Notariis Clericis, teſtibus auſcultantibus, ad dictas originales litteras concordare inueni, nihil addito vel remoto quod ſenſum mutet, aut variet intellectum, ſignum meum appoſui conſuetum, hicque me ſubſcripſi requiſitus & rogatus in teſtimonium veritatis præmiſſorum.* Quo quidem indulto, tres ibidem nominatim expreſſi Abbates à Pontifice Maximo deputantur Conſeruatores priuilegiorum & immunitatum Monaſterij S. Martini, quod proinde immunitates habere debuit.

Inde etiam conſtat eiuſmodi poſſeſſionem *Clam* non fuiſſe comparatam, quòd idem Laudunenſis Epiſcopus ſeu eius Officialis anno 1422. noſtris hoc inſtrumentum dederit. *Vniuerſis præſentes litteras inſpectu-*

ris. Officialis Laudunenſis ſalutem in Domino. Noueritis nos litteras fælicis recordationis Domini Alexandri quondam Papæ 4. eius vera Bulla Papali plumbea &c. (hâc Pontifex Archiepiſcopis & Epiſcopis præcipit vt ſinant parochos à ſuis ſuperioribus ad Monaſteria reuocari) *vidiſſe, tenuiſſe, & diligenter inſpexiſſe &c. Item eodem die alias litteras fœlicis recordationis Domini Alexandri quondam Papæ V. eius verà Bullà plumbeà, cum filis ſericis more Romanæ Curiæ bullatas, ſanas & integras, omnique prorſus vitio & ſuſpicione carentes Noueritis nos vidiſſe, tenuiſſe, & diligenter inſpexiſſe, quarum tenor eſt talis. Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei ad futuram rei memoriam. Cum de indultis & gratiis Apoſtolicis dubitatur, decet vt dubia huiuſmodi oraculo ſummi Pontificis declarentur &c.* vt ſupra pag. 171. vbi confirmatur omnimoda Præmonſtratenſium Exemptio. *Quas quidem litteras Apoſtolicas ſic per nos inſpectas modo & forma præſcriptis tranſcribi fecimus. In cuius viſionis & omnium præmiſſorum teſtimonium his præſentibus litteris, diligenti collatione de eiſdem ad originales litteras de mandato noſtro factà, ſigillum Curiæ Laudunenſis duximus apponendum. Datum & actum Anno Domini 1422. ferià 6. ante feſtum Beati Andreæ Apoſtoli.*

Digitized by Google

Inde præterea conſtat : quòd idem Laudunenſis Epiſcopus eiuſve Officialis ſequentes Commiſſiones, Ordinationes,& ſententias,à Conſeruatoribus Apoſtolicis, eorumque Subdelegatis aduerſùs Sammartinenſium iurium impugnatores latas viderit ; tanquam à legitimis idoneiſque Iudicibus emanatas agnouerit ; eaſdem ſine contradictione vel oppoſitione vlla executioni demandarit. *Ioannes Marteguin Decanus Eccleſiæ Laudunenſis, Iudex ſubdelegatus à R. in Chriſto Patre ac Domino Domino Abbate Eccleſiæ ſancti Auberti Cameracenſis Iudice & Conſeruatore (vnà cum ſuis in hac parte* Collegis, *cum illa clauſula, quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrûm per vos, vel alium, ſeu alios &c.) priuilegiorum Religioſis & honeſtis viris Dominis Abbati & Conuentui Monaſterij ſancti Martini Laudunenſis, Ordinis Præmonſtratenſis à ſancta Sede Apoſtolica indultorum, & ab eadem Sede ſpecialiter deputato & commiſſo. Omnibus & ſingulis &c. ad quos ſeu quem noſtrum præſens mandatum, imò veriùs Apoſtolicum peruenerit exequendum, ſalutem in Domino. Authoritate Apoſtolicâ nobis in hac parte conceſſâ, vobis omnibus &c. diſtrictè præcipiendo mandamus &c. quatenus citetis promptè coram nobis &c. ad diem competentem &c.*

omnes illos & illas, quos vel quas lator præſentium vobis duxerit nominandos ſeu nominandas &c. Nonobſtante quòd priuilegia dictorum Religioſorum ad vos non mittimus, propter viarum pericula & loca ſeu locorum diſtantiam, ſed interim erimus parati copiam de eiſdem facere, vt fuerit facienda &c. Datum anno Domini 1422. Sabbato poſt feſtum Beati Ioannis Baptiſtæ. ſignatum WASCEBLET & ſigillatum in cera flaua.

Ioannes Marteguin Decanus Eccleſiæ Laudunenſis Iudex ſubdelegatus &c. vt ſupra. *Omnibus & ſingulis Presbyteris &c. quatenus citetis promptè coram nobis &c. Thierricum Ioly &c. viſurum taxatis expenſis, de quibus &c. nonobſtante quòd priuilegia dictorum Religioſorum &c.* vt ſupra. *Concordatum eſt de principali debito &c. Datum anno Domini 1424. feriâ 6. poſt feſtum B. Clementis.* Signatum WASCEBLET & ſigillatum.

Ioannes Marteguin &c. vt ſupra. *Omnibus & ſingulis &c. Authoritate Apoſtolica &c. vobis &c. diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus citetis promptè coram nobis &c. Datum Lauduni anno Domini 1429. penultima die Menſis Februarij.* Signatum SVRDI. & ſigillatum ex cera viridi.

Vincentius Tabernarij, Canonicus *Laudu-*

nenſis, Iudex ſubdelegatus à R. in Chriſto *P. ac Domino Abbate Monaſterij ſancti Vincentij extra muros Laudunenſes Iudice & Conſeruatore &c.* vt ſupra. *Omnibus & ſingulis &c. necnon Tabellionibus & Notarijs publicis &c. Authoritate Apoſtolica nobis in hac parte commiſſa vobis &c. diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus citetis promptè coram nobis &c. octo perſonas vobis à latore præſentium nominandas &c. nonobſtante quòd priuilegia prædicta &c. Datum anno Domini 1431. feriâ quartâ ante feſtum Beati Andreæ Apoſtoli.* Signatum & ſigillatum.

Iacobus de Vauboulon in Decretis Licentiatus, inſignis Eccleſiæ Laudunenſis Canonicus, Iudex ſubdelegatus à Venerabili in Chriſto *P. Domino Abbate Eccleſiæ ſeu Monaſterij ſancti Vincentij prope & extra muros Laudunenſes Iudice & Conſeruatore &c. Notum facimus &c. Datum Lauduni ſub ſigillo noſtro quo vtimur in talibus, anno Domini 1504. feriâ 4. poſt feſtum Pentecoſtes.* Signatum LARCHIER. & ſigillatum in cera rubra.

Sammartinenſium poſſeſſionem idem Laudunenſis Epiſcopus etiam agnouit ex facto & inſtrumento publico capite præcedenti relato.

Agnouit inſuper ex Iacobi Burgeſij

Prioris Sammartinenſis facto: Is nimirum cum in Eccleſia Sammartinenſi ramis palmarum præſente Decano Inſignis Eccleſiæ benedixiſſet, reſque ad Illuſtriſſimum Philbertum Epiſcopum fuiſſet delata, hic factum Prioris præſentibus Decano & quibuſdam Canonicis conquerentibus probauit, laudauitque, addens nec ipſis nec ſibi quidquam juris in Sammartinenſi Eccleſia competere: cuius quidem rei teſtes oculatos auritoſque plures habemus.

Agnouit denique in eo, quòd parochiale ſacellum ſancti Eligij, Eccleſiæ Sammartinenſi conjunctum nunquam ingreſſus ſit; Abbatis Sammartinenſis hoc modo in parochiam parochianoſque plenum & quaſi Epiſcopale ius recognoſcens, quemadmodum & in parochos parochianoſque Claromontanæ & Sammouciacæ Eccleſiarum, vt ſupra vidimus.

CAP. XXXIII.

Digitized by Google

CAPVT XXXIII.

Ad Obſeruationem II. Inquiſitionis reſpondens.

Falſa iterum obtrudit Obſeruator. Iterum ex minutioribus à ſe laudatis condemnatur.

CONFICTAS eſſe ſchedulas, quæ hîc ab Obſeruatore proferuntur, cap. 8. aſſeruimus: deinde etſi veræ eſſent nec ſuppoſitæ, quàm nihil aduerſùm nos valeant, abundè ſatis oſtendimus.

Liberum fuiſſe, atque etiamnum eſſe Abbatibus Præmonſtratenſis Ordinis Laudunenſis diœceſeos, aliarumque à quocumque vellent munus benedictionis poſtulare. Munus illud ad nulla penitus iuriſdictionis vmbram redolentia ſe extendere aut extendiſſe, conceptiſſimis hac de re Pontificum indultis probauimus.

Quæ & poſſemus confirmare factis eorum, quos hiſce oculis ab aliis conſecrari,

quàm à Laudunenſi aut diœceſanis Epiſcopis vidimus, vti paucis abhinc annis contigit Clari-Fontis, Marchaſij Radulphi, Dommartinenſi Abbatibus, quorum primus à Maſſilienſi, ſecundus à Dolenſi, tertius à Bellouacenſi Epiſcopis conſecrati ſunt; quique nec obedientiam, nec quidquam aliud ſeu dictis Epiſcopis, ſeu diœceſanis ſunt polliciti, ſed ſoli ſummo Pontifici & ſuperiori Regulari; vti etiam expreſsè & altâ voce Dolenſem monuit Inſignis Eccleſiæ Pariſienſis Canonicus Dominus Pottier Ceremoniarum Præfectus, earumque iudicio Illuſtriſſimorũ totius Galliæ Antiſtitum peritiſſimus. Quod & poſtea in Sacriſtia me præſente repetiit: addens, exemptis conſecrandis immutandam eſſe interrogationem, ſibique hoc eſſe in more poſitum, vt moneat conſecrantes Antiſtites.

Sed (inquit Obſeruator pag. 326.) *Præmonſtratenſis Ordinis Abbates, qui ſunt in Laudunenſi diœceſi reuerentiæ, ſubjectioni, & obedientiæ Laudunenſis Epiſcopi dupliciter aſtringuntur: primò quia Conſecrator eſt Abbatum: deinde quia caput Laudunenſis Eccleſiæ.*

Verùm conſecratione nihil authoritatis, dominii, vel iuriſdictionis acquiri in

Conſecratum, niſi Conſecrandus aliundè aſtringatur & ſit ſubditus, res eſt clarior quàm vt probatione indigeat: prætérquam quòd id expreſsè habent indulta Apoſtolica paſſim à nobis laudata.

Ratio verò *Capitis Laudunenſis Eccleſiæ* iuriſdictionem non importat, cùm nequidem efficere poſſit, vt præcipua & immediata membra, puta inſignis Eccleſiæ Canonici, ei ſubdita ſint.

Cæterùm ab Ordine inſtituto Præmonſtratenſes exemptos fuiſſe ab iuriſdictione & correctione Laudunenſis Epiſcopi, patet vel ex charta ipſa initio operis ab Inquiſitore laudata; in qua non ſolùm Canonici, ſed & Abbas Sammartinenſis à Bartholomæo Epiſcopali poteſtati ſubducitur, & Præmonſtratenſi Abbati ſubditur.

Sed hîc docendus eſt Canonicus (niſi fortè Acanonicus) quem vel ex rubricis bene multis (à dormientene an vigilante) hoc in loco citatis, affirmares Eccleſiam Laudunenſem nunquam ingreſſum, niſi captiuus ille ritualis liber, quique aliò transferri non poteſt, hominem ſub maledicendi lege captiuum ductum, Eccleſiæ chorum ingredi coegiſſet vt legeret.

Digitized by Google

His igitur peractis (quæ de rituali illo libro fuſè exſcribuntur : ea verò leget cui per otium licebit, quique magis ad rem arbitrabitur pertinere, quàm ad Garamantas & Indos) *progreditur Epiſcopus ad Eccleſiam ſancti Vincentij, deinde ad Eccleſiam ſancti Martini, poſtea ad Eccleſiam ſancti Ioannis in Burgo, ad vltimum ad Eccleſiam ſancti Ioannis in Abbatia. Interim,* (dum ſcilicet fit ad quatuor iſtas Eccleſias ſolemni ritu progreſſio) *cantatur Tertia & Sexta: ad Tertiam Pſalmus, Legem pone, cum alijs Pſalmis, & non dicitur, Gloria Patri. R. Triſtis eſt anima mea &c. Vigilate. Kyriè Eleiſon, preces, oratio, Reſpice Domine. Ad Sextam Pſalmus, Defecit, cum alijs Pſalmis ſine Gloria Patri. R. Ecce vidimus. V. Verè langores noſtros &c. preces, oratio, Reſpice Domine.* Vbi vides tam multa hîc præſcribi cantanda, vt abundè ſufficiant pro toto ſupplicationis iſtius tempore. *Poſt Sextam (* quæ videlicet finitur, cum Supplicatio Cathedralem Eccleſiam, vnde exierat, ingreditur) *Epiſcopus ſtans in ſiniſtro pulpito cum ſtola & mitra abſoluit à peccatis populum ſibi à Deo commiſſum. Sic (* riſum quæſo teneatis amici) *Laudunenſis Epiſcopus in baſilica Monaſterij ſancti Martini, æque ac in Laudunenſi Eccleſia ſua Pontificalem impertitur abſolutionem.*

Digitized by Google

Vnde verò id colligis, oculate ac religioſe ſenex? An dum progreditur Epiſcopus ad quatuor iſtas Eccleſias, quarum noſtra ordine ſecunda eſt, & *interim cantatur Tertia & Sexta*, ſimul in ſingulis iſtis Eccleſiis *poſt Sextum* Epiſcopus populum poteſt abſoluere? An toties finitur & repetitur Sexta; vt in vnaquaque Eccleſiarum iſtarum *poſt Sextam* abſolutam poſſit abſoluere? an pulpitorum dextri & ſiniſtri diſtinctiones in ſingulis iſtis Eccleſiis in viſu noctis ita deprehendiſti, vt vbi nullum eſt, ibi Epiſcopus *ſtans in ſiniſtro* populum ſibi commiſſum à peccatis abſoluat?

Diſce igitur (ô rerum conditionis tuæ ſatis ignare) diſtinctionem dextri & ſiniſtri pulpiti reperiri in ſola majori Eccleſia, vbi de Supplicatione cum comitante fidelium cœtu redux Epiſcopus, abſoluit populum ſibi à Deo commiſſum. Hæc, inquam, diſce à Canonicis (niſi ſemel Officio Diuino ipſe intereſſe volueris, ſolitas poſtea diuagationes æternùm repetiturus) diſce à Choriſtis junioribus, diſce à Laudunenſibus mulierculis. Atque apage imprudentis hominis differentiam ſingularem, qui omnia ſurſum deorſum jactat, quibus ipſe poſtmodum incautus obruitur.

CAPVT XXXIV.

Ad Obſeruationem 12. Inquiſitionis reſpondens.

Obſeruatoris Imprecatio in ſummos Pontifices obſeruatur.

HIc non recedit à conuiciis & maledictis in Apoſtolicam Sedem; imò & aduersùs Sedentem in ea ſuperaddit Imprecationes homo multâ contradicendi febre exæſtuans, & veritatem impugnans: *Væ*, inquit pag. 334. *homini per quem ſcandalum veniet.* Scandali nimirum nomine ſupremæ in Eccleſia poteſtatis exercitium appellat; ſcandali nomine Petri in Cæteros orbis Chriſtiani Antiſtites Principatum; ſcandali nomine à regulis cõmunibus (vbi grauiſſimæ ſuppetunt cauſæ, vbi vrget neceſſitas) diſpenſandi poteſtatem, quam etiam homo proiectus agnouit, ad quam à menſibus non ita multis impudenter &

inuerecundè recurrit vt ad duo beneficia diſpenſationem obtineret, quam nec Laudunenſis Epiſcopus, nec alius quiſquam, ſed ſolus Vniuerſalis Eccleſię Antiſtes tanquam verus & vnicus Canonum Dominus, Interpres fidelis, & vbi ratio exigit, diſpenſator legitimus, concedere poterat.

Quod autem ait pag. 332. *Alexandri V. priuilegium eſſe deceſſorum priuilegiis contrarium*; (volens deceſſorum priuilegiis imponi & præcipi Præmonſtratenſibus ſubiectionem ad Epiſcopos, à qua per Alexandri V. diploma liberantur) pugnantia continet: quod enim, amabo, priuilegium, aut quæ priuilegij vmbra eſſe poteſt in eo, quòd Præmonſtratenſes Epiſcopis omnino ſubdantur?

Si quis igitur Launoij dictis ſeduci noluerit, priuilegia non truncata vtique, nec per partes (vti Launoius) ſed integra conferat, & apertè cognoſcet quàm bene (ſeu priuilegium ipſum, ſeu concedentis intentionem ſpectet) Alexander deceſſoreſque conſentiant.

Diſcrimen porro eſt inter ea quæ referuntur ex Symmacho, remque propoſitam, ampliſſimum: ſcilicet nouella erat Anaſtaſij conſtitutio, non ſatis firmâ ratio-

ne nixa, in materia de Sacerdotum Ordinationibus, in qua periculoſiſſima ſemper habita nouitas eſt. Hîc autem nec nouitas eſt; (exemptioni enim ab Epiſcopali iuriſdictione pluſquam vndecim ſæcula numerantur) nec infirma ratione nixa (niſi fortè quis ſe tot ſummorum Pontificum, Conciliorum Oecumenicorum exemptiones concedentium confirmantiumve Iudicem Cenſoremque ridiculum conſtitueret) nec periculoſa, vel Apoſtolicæ poteſtati ſubtracta materia. Enimverò diœceſeon limites præſcribere; loca, eorumque habitatores transferre in alteram diœceſim; quædam loca, perſonaſque ab omni Ordinariorum poteſtate eximere, Sedique Apoſtolicæ immediatè ſubiicere (vti Ciuitati ſancti Germani in Laya & aliis contigit) peculiari ſemper fuit Romani Pontificis nihil temerè facientis arbitrio affixum.

Seriùs igitur viperarum genimen conceptum eſt: tardiùs omnino venenum bufo tumens exeruit; matris Eccleſiæ pacata firmata ſunt omnia; exemptionumque cana ac reuerenda antiquitas, vt, & vnde manat, Petri Principatus, æternùm ſtabit, ſucceſſuris in Eccleſia Dei Præſulibus,

Digitized by Google

quemadmodum tot retrò ſæculis fuit, chara ſemper acceptáque futura.

CAPVT XXXV.

Ad Obſeruationem 13. Inquiſitionis reſpondens.

Horrenda in Apoſtolicam Sedem vomit Obſeruator; quæ & Illuſtriſſimis Antiſtitibus imponens inuerecundè tribuit.

QVAM non ſit cauſa communis, quæ in diſceptationem & controuerſiam venit, quámque ad omnes Epiſcopos non pertineat, vti falsò aſſerit hîc Obſeruator, ſed Cæſaris Epiſcopi Laudunenſis ſit omnino peculiaris, vel ex eo licet agnoſcere; quòd cæteri Antiſtites Illuſtriſſimi Præmonſtratenſia priuilegia & exemptiones amplexentur; Norbertinum Canonicum ſibi non ſubditum vi ac violentia, ſpectante integrâ Ciuitate, horrendũ in ergaſtulum non coniecerint; in Eccleſia Sammartinenſi nobis inuitis, inuito Cardinali Emi-

nentiſſimo Sammartinenſi Abbate ſacros Ordines conferre non tentauerint; ædium Abbatialium ianuas non effregerint; in eos ſupremi Iudices Senatuſ-conſulto non pronuntiauerint; ac denique aduersùs eos Cardinalis Eminentiſſimus tanquam pars primaria læſa non prouocauerit. Atque hinc ſumenda cauſę coniectio, hinc ſtatus.

Nunc reſcindenda *tria capita*, *quibus omninò conſtare dicitur Inquiſitoriæ coniectionis breuiarium. Primò* (inquit) *Cæſar Laudunenſis Epiſcopus ſpectari debet vt Archimonaſterij Præmonſtratenſis, id eſt, Ordinis totius fundator & benefactor ampliſſimus.* Id quantùm aberret à vero, noſque à Cæſare vel à Laudunenſibus Epiſcopis, quâ Epiſcopis, temporalium bonorum omnino nihil accepiſſe, primis huiuſce reſponſionis Capitibus plus ſatis demonſtrauimus, omniaque de Bartholomæi Rouciaci patrimonialibus bonis; ſi quæ verò de Epiſcopalibus, hæc nummis noſtris empta abundeve compenſata probauimus: atque eapropter, nec Laudunenſem Epiſcopum, nec Cæſarem fundatoris aut benefactoris nomine donandum eſſe: etſi fortè Cæſar à Iuniore Scholaſtico, ignaro, ac pergratum faciendi cupi-

Digitized by Google

do, me abſente, & contra expreſſam monitionem meam ne faceret, adulatoriè fundator appellatus ſit.

Deinde (ait obſeruator) *Laudunenſis Epiſcopus ſpectari debet vt fundator Monaſteriorum Ordinis huius quatuor in diœceſi ſuâ.* Sed ô latam fundatoris acceptionem, ſi, qui lapidem ponit angularem; qui Eccleſiam primò conſecrat; qui miniſterio ſuo Religioſos ducit ad locũ ab aliis iam fundatum conſtructumve, ſeu ab aliis fundandum vel conſtruendum, fundatoris nomen mereatur; quod Iura negant. Sed eſto; gratis demus hæc omnia, dummodo loco Laudunenſis Epiſcopi Bartholomæus de propriis, non de Epiſcopalibus fundaſſe intelligatur; quid hæc ad Cæſarem, aut ad Laudunenſem Epiſcopum?

Imò fundauerit ex Epiſcopalibus: ſit Cæſar eius in hac qualitate ſucceſſor: fundatori fores non occludentur; ſed fundatori limites prætergredienti; fundatori majorum ac ſuperiorum iura euerſuro; fundatori fundamenta ipſa concuſſuro & auulſuro, claudentur æternùm, & quidem ab eo *qui claudit, & nemo aperit.*

Sed quæſo, quæ regula; quiſve Canon fundatori vel fundatrici conceſſit; vt in

Digitized by Google

loco fundationis ſuæ Clericos facere, aut baptiſatos Confirmare poſſint? aut quis conceſſit Epiſcopo, vt in aliena diœceſi, Romano Pontifice expreſsè prohibente, locum transferente, ſibique ſoli immediatè ſubdente, Clericos facere aut baptiſatos Confirmare audeat? Si de neutra qualitate, puta fundatoris, & Epiſcopi, Cæſar id potuerit: quid mirum ſi facturo fores occluſæ ſunt?

Cæterùm mira eſt hîc Obſeruatoris impudentia, mira in perpetrandis atrocibus criminibus pertinacia & obduratio, quæ vſque-adeo aſcendit, vt (quaſi non ſufficeret maledicta & blaſphemias toties in Apoſtolicam Sedem vomuiſſe) vomitu ſuo omnium Epiſcoporum ora ſacra reſpergat ac polluat, id ipſis impudenter imponens, à quo certum eſt puriſſimam eorum mentem plurimùm abhorrere. *Laudunenſis Epiſcopus* (inquit pag. 339.) *& omnes Epiſcopi poſtulant, vt Præmonſtratenſes interiectum inter antiqua & recentia priuilegia vnicum Alexand. V. priuilegium eiurent, quòd ſuppoſititium ſit, aut ſubreptitium, quòd bonis moribus repugnet, quòd ad omnem animi relaxationem aditum patefaciat, quòd repagula nulla vitiis opponat, quòdnec ſit extra*

vitia nec cum virtutibus, quòd ſimoniam admittat. Quid potuit de Vniuerſalis Eccleſiæ Paſtore dici horribilius? quidve filiis obſequentiſſimis imponi deteſtabilius? &, heu, quot & quanta in hoc Launoici *breuiarij* tertio & vltimo Capite ſunt crimina!

Non ſic, (ô mortalium impudentiſſime) non ſic: ex auerni faucibus recens erutum idioma reſpuit mens pia tot Præſulum, inauditumque Patri maledicendi genus, artemque recenter adinuentam, totis pręcordiis execratur & horret; nec ſic loquentem diutius impunè patietur, niſi fortè iuſto Dei præueniente iudicio, debitas tot flagitiis pœnas iam luerit. Neque enim credēdum eſt rediiſſe tempora, quibus infernalis draco tertiam ſecũ ſtellarum partem trahere poſſit: omnes fixæ, omnes ſtabiles, omnes fidei, Charitatis, & obedientiæ indiſſolubili vinculo colligatæ. Quod quidem quàm verum ſit, conſtat ex actis authenticis Pariſienſis, Rhemenſis, Rothomagenſis, Lugdunenſis Archiepiſcoporum; Epiſcoporũ Sueſſionenſis, Ambianenſis, Trecorenſis, Altiſſiodorenſis, Sagienſis, Margacenſis, Claromontenſis, imò Laudunenſis, qui omnes Ale-

xandi V. priuilegium tanquam *verum ac germanum* agnouerunt, ſuſceperunt, robur habere voluerunt: &, ne lapſu temporis, vetuſtate, aliove diſcrimine interiret, eius tranſſumpta quam plurima poſteritati reliquerunt, quibus (vt æquali ac pari cum ipſis originalibus virtute non carerent) authoritatis ſuæ robur addiderunt, ſicque à ſe atque ab omnium Epiſcoporum pietate & integritate, Impoſtoris ridiculi calumniam omnem amouerunt.

Deinde verò ab execrandis ad puerilia, ad iniurias, & conuicia deſcendens; atque hæc, vt illa, Antiſtitibus Illuſtriſſimis turpiter affingens, ait pag. 340. *Deinde Laudunenſis Epiſcopus & omnes Epiſcopi poſtulant vt Præmonſtratenſes Abbates & Canonici non ſint mendaces, periuri, & infideles.*

Et paulò poſt, eâdem pag. ſacram Epiſcoporum purpuram ad abiecta & ſtolida deprimendo mentiens, & mentiendo deprimens, ait; *præterea Laudunenſis Epiſcopus & Cæteri Epiſcopi poſtulant vt Præmonſtratenſes deteſtentur quorumquam ex beati Benedicti ſecta Monachorum ſermonem hunc peſtilentiſſimum, & in Romanam Sedem iniurioſiſſimum; viles ſunt Abbates & miſeri qui poteſtatem Epiſcoporum, &c.* quaſi Malmiſburien-

Digitized by Google

ſis inſania ad Præmonſtratenſes aliqua ratione pertineret; aut de Ioannis Launoij dementia Clericorum Epiſcopis ſubditorum ſtatus inficeretur; atque ab eorum ſingulis, priuſquam ad Præſbiteratum promouerentur, Antiſtites Illuſtriſſimi poſtulare deberent, vt deteſtarentur Launoicas ineptias, aliunde ſat ex ſe deteſtabiles.

Sed quorsùm iſta miſeri textus in infami hoc opere quadrageſies facta repetitio? (vt de aliis Launoij operibus taceam, vbi millies id ipſum repetit, ac libellorum ſuorum frontibus inſcribit.) Aut enim verum eſſe putat Obſeruator quod inſanè prolatum eſt à Malmiſburienſi, *proque annua auri vncia plenam*, omni alia cauſa, vel neceſſitate ceſſante, *à Sede Romana obtineri poſſe libertatem*: aut aſſertum à Malmiſburienſi iniquum reputans, Malmiſburienſis duntaxat inſaniam perſequitur. Si prius, Malmiſburienſi longè culpabilior eſt, cum ille ſemel dixerit, hic quadrageſies repetat, ac ſcripto conſignet: ſi poſterius, quid ad Præmonſtratenſes? quidve proditio Iudæ ad cæteros Chriſti diſcipulos?

Atque hæc ſat fuerit expoſuiſſe, quo-

niam ipſa per ſe abundè refutantur, & corruunt.

Vt autem Launoius ſuis ſe ipſe coloribus depingat', atque ex ipſo videatur quàm ſit expers ſani conſilij iudicijque mens eius; abs re non erit hîc exponere loca, ſeu textus duos pag. 342. relatos, quibus ipſe ſibi videtur Præmonſtratenſes reducere ad extremas anguſtias: alter ex Leone I. ad Cæſarienſis Mauritaniæ Epiſcopos ſcribēte deſumptus ſic ſe habet: *vbi eſt incolumitas obedientiæ, ibi ſana eſt forma doctrinæ.* Alter ex Greg. in lib. 11. Indict. 6. Epiſtola 44. ad Ioan. Panormitanum Epiſcopum, monente, & ſic eſt: *Illud autem admonemus, vt Apoſtolicæ Sedis reuerentia nullius præſumptione turbetur. Tunc enim ſtatus membrorum integer manet, ſi Caput fidei nulla pulſet iniuria, & Canonum manet incolumis atque intemerata ſemper authoritas.*

Quis enim non videt, (qualiſcumque & quàm contorta ac diſtorta interpretatio afferatur) hiſce textibus non Præmonſtratenſes, ſed Cæſarem Epiſcopum Laudunenſem feriri; quippe textus iſti Pontificum Romanorum monitiones continent ad Epiſcopos, quibus in priori præſcribitur diciturque quòd ad hoc; vt *ſana ſit for-*

ma

Digitized by Google

ma doctrinæ eorum, debeat eſſe in ipſis *incolumitas obedientiæ*; enimverò vbi obedientia deeſt ad Apoſtolicam Sedem, ibi ſana eſſe non poteſt forma doctrinæ ad Dominicum gregem. In poſteriori verò admonentur, *vt Apoſtolicæ Sedis reuerentia nullius præſumptione turbetur*. Hæc, vt notum eſt, in Præmonſtratenſes non cadunt, qui Apoſtolicæ Sedi reuerentiam omnem exhibent, eamque aduersùs auertere molientes totis niſibus tuentur ac protegunt. Atque ex vnge hoc reſecto, beſtiam agnoſce.

Quod ſpectat ad Officialis Laudunenſis iudicium iniquiſſimè latum; quodque in Launoica nube tonitrui ad inſtar conceptum agitatumque in inſontem violentia excuſſit; id præter ſui fœtorem & horrorem nihil omnino habet reſidui.

Porro quàm inhumanè ac tyrannicè in Innocentis, ſibi non ſubditi publica & violenta arreptione, coniectione in vincula, oppreſſione, Iudex non legitimus ac minimè idoneus ſe geſſerit; quænam præceps illius iudicium præceſſerint, comitata ſint, & ſubſequuta; hæc dicta ſunt à nobis Cap. 1. reſpondendo ad Inquiſito-

Digitized by Google

riam præfationem, quapropter ea hîc non repetimus: Inquiſitori, Obſeruatori, Breuiatori, Concluſori, & decies quater eorundem Repetitori plurimùm abſimiles, qui (ad inſtar muliercularum, quarum tremula, anxia, intricata, ſcrupuloſa mens eſt, aut certè memoria fluxa) idem centies importunè ac ſtolidè repetit: hâc ſaltem arte recoctam crambem iuſtis voluminibus aliquando æquans.

Quod & euidentiùs in hac Inquiſitoria Concluſione licet obſeruare, in qua nihil videas, præter iam alibi multoties ad nauſeam dicta: cuiuſmodi ſunt, quæ de fundatis quinque Ordinis Præmonſtratenſis Monaſteriis à Cæſare in perſona Bartholomæi deceſſoris ſui, quod iam quâter (falsò vtique) repetierat. De conditione, quâ Canonicos noſtros ad ſancti Martini Baſilicam acceſſiſſe fingit, quod decies. De Epiſcoporum poteſtate per immunitates læſa, quod vigeſies. De ſimoniæ crimine per Alexandrum V. admiſſo, quod decies.

Sed notanda truculenta loquutio, quâ hâc vice id exprimit: *vel certè* (ait hîc pag. 347.) *conuenerunt* (Præmonſtratenſes

Alexandrum V.) *eumque ſubornarunt, vt ſibi immunitatem ab Epiſcopali iuriſdictione concederet; Conceſſit, ſed ita conceſſit, vt ſimoniacum crimen admiſerit.*

Quod & adhuc repetit in fine pag. 353. adeò verum eſt, hominem illum, quo cum agimus, maledictis in Apoſtolicam Sedem ſatiari non poſſe; vnde, ſi noua non poſſit adinuenire, inuenta iactataque ſæpius ſaltem repetit. *Præmonſtratenſes*, ait, *ab illa Sedis Apoſtolicæ doctrina & traditione deficiunt, ſi Alexandri V. priuilegium ſuppoſitum vel ſubornatum, à vetuſtioribus Romanis Pontificibus damnatum ſimoniacæ hæreſeos, opponere pergant.* Vbi notandus eſt contemptus quem verba Inquiſitoria præ ſe ferunt; modeſtiùs enim de baiulo, vel de infimę plebis homine loqueretur, quàm loquitur de ſummo Pontifice. Notandus præterea Inquiſitoris genius & affectus, quo Pontifices Pontificibus opponit, falſóque & proteruè aſſerit, *à vetuſtioribus hæreſeos damnatos fuiſſe ſucceſſores*: hoc modo ad bellum Papale (quod in Anglia ortum conſummatumque putabatur) in Gallia noſtra, quæ ad hæc ferè tempora monſtris caruit, Claſſi-

Digitized by Google

cum ſonans, illudque infœliciter inſtaurans.

Huiuſmodi etiam ſunt omnes textus hîc repetiti, præpoſterè intellecti, peioreque interpretatione expoſiti: in quibus, cum à ſummis Pontificibus Epiſcopi (vtpotè ſacris Canonibus omnino ſubditi, non eorum Domini) prohibentur, ne in Canonum derogationem quid audeant: hanc ipſam prohibitionem etiam ad ipſos ſommos Pontifices ſtolidè extendit. Aut cùm iidem Pontifices Maximi inſinuant, ſibi à ſacris Canonibus, qui de fide, Traditione, probiſve moribus concepti ſunt, non licere diſcedere: hæc etiam extendit ad Canones exteriorem diſciplinam Eccleſiaſticam concernentes. Aut denique cum ſummi Pontifices affirmant, ſe à ſtatu Canonum etiam ad exteriorem eiuſmodi diſciplinam pertinentium, *nec gratiâ cuiuſquam, nec culpâ* (id eſt ſine æquiſſima cauſa, euidentive neceſſitate) *deflecti poſſe*: id ſic intelligit, aut ſaltem intelligere ſe fingit; quaſi ob nullam omnino cauſam, aut neceſſitatem poſſint ab eiuſmodi Canonibus recedere, nulluſque vnquam daretur locus interpretationi, diſpenſationi,

Digitized by Google

exemptioni. Quod quidem ſi verum eſſet, quid beneficiorum pluralitati, quid penſionum multitudini patrocinari poſſet, cum hæ longè magis aduerſari videantur ſacris Canonibus, quàm ab Epiſcopali iuriſdictione exemptio.

BIBLIOTE… ROMA VITTORIO EMANUELE

CONCLVSIO.

ATQVE hæc ſunt (Inquiſitor, & Obſeruator) quæ inquirenda obſeruandaque habui ad delyria tua; ne, dum *poculum crederetur eſſe quod ſumeretur, intùs pernicies hauſta graſſaretur*: ne cuiquam fucum faceres inanibus verbis, ſed *veritas* pateſceret, atque ab Inquiſitoriis inſidiis *liberaret*. In his porro vim vi non repuli, (quod cuique naturæ conceſſit) ſola authoritatis Apoſtolicæ propugnatione, ſola iurium noſtrorum aſſertione contentus. Errata notaui, ne cui *fierent in laqueum*, & *in ſeductionem*, & *in ſcandalum*. Errores aperui, quò exulcerato

Digitized by Google

homini manus humanâ potentior tandem mederetur. Inde verò ſi contriſtetur ægrotus, *non me pœnitet*, nec æternùm pœnitebit, dummodo *triſtitia hæc pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operetur*. Id autem ſi fuero aſſequutus, gratulari mihi non deſines grande miraculum; quia *pax erit tibi* (frater hoc poſito certè non ampliùs Inquiſiture) & *pax erit de te*.

FIAT. FIAT.

128794

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google